

SVFFICIT.

SIVE,

de Miſericordia dei in Differenda ira;

Concio ad clerum

Cantabrigienſem habita, in templo B. Mariæ.

Anno 1603. *Ianuar.* 12.

A

Doctore THOMA PLAYFERO, *Sacræ Theologiæ*

Cantabrigienſi Profeſſore, pro

Dominâ Margaretâ.



LONDINI,

Impenſis THOMÆ CHARD, & venundantur in officina NATHANAELIS FOSBROOKE.

Anno 1607. *April.* 3.



HONORATISSIMO, ET VERE NOBILISSIMO, D. IACOBO HAY, BARONI, Equiti aurato ordinis Balnei,

Domino suo plurimùm observando.



ON fuit animus, Honoratissime Hay, vbi primùm scirpturæ eum locum seligebam quem ista concione explico, in campum tam spaciosum excurrere. Tantùm celebrare volui reditum ad pristina studia Academicorum, quos pestis dissipauerat, breui laudatione diuinæ clementiæ & actione gratiarum. Postea verò quàm seriò cogitanti hac de re, illa distributio iræ in Differendam, Inferendam, Auferendam venisset in mentem, animaduerti protinùs mihi necessariò deflectendum esse de prioris instituti curriculo. Non enim posse tam longum iter vnius peragrari decursu concionis, sed, nisi singulas partes transilire potiùs vellem quàm percurrere, in vniuscuiusq; expolitione propriâ esse diligenter insistendum. Itaq; iampridem tres simul conciones diuulgâssem tribus illis partibus respondentes, si, vt secundam quoq; suo anno habui, ita vltimæ hactenùs fuisset habendæ locus. Verùm exinde semel atq; iterum Cantabrigiam rediens, vt more solito Concionem ad clerum termino Natalitio præmitterem, offendi continuò Academiam pestis quibusdam tristissimis perturbatam reliquijs. Vnde & coactus sum alias quasdam pro concione tractare scripturas, illiusq; vltimæ partis explicationẽ in tempus

 magis

magis opportunum reijcere. Interim tamen haud existimaui, concionis primæ istius editionem quæ est de Differenda ira, ipsam esse differendam ampliùs. Siquidem expeditissima via ad veniam, pœnitentia. Ad hanc, consideratio Misericordiæ dei. Quò enim dominus tardior ad irascendum, eò nos conuenit tardiores etiam esse ad peccandum, ad cessandum autem celeriores promptioresq́ à peccato. Huc ista concio cùm præcipuè spectet, vt ne dei patientiam contemnamus, sed fideli pœnitentiâ praeueniamus eius iudicia, viam sanè commodissimam ad duas reliquas videtur esse stratura. Vt cùm nos culpæ commissæ, deum planè pœnituerit immissæ pœnæ, tum demum ritè laudetur misericordia eius in irâ, & Inferendâ quæ corrigeret, & Auferendâ ne opprimeret. Quocirca sic tuæ amplitudini, Honoratissime vir, debitam hanc vnam dedico, vt simul duas alias debeam suo tempore dedicandas. Cùm enim plurimis nominibus sim præcellenti Dominationi tuæ deuinctus, & nullo alio munere possim, præterquàm hoc literario, quàm cupiam esse gratus ostendere, malui partem syngraphæ soluendo meam paupertatem prodi, quàm totam negligendo desiderari fidem. Quanquam hoc munusculum, vt dicam quod sentio, æquè tuam nobilitatem decet, ac tenuitatem meam. Animus etenim, tanquam speculum splendidissimâ imagine, ita nobilissimo obiecto maximè nobilitatur ipse. Porrò nihil est ad animi agnitionem pulchrius, ad vitaq́ fructum vberius, quam frequens diuinæ Misericordiæ meditatio. Quare gratias agent, vti spero, potiùs quàm querentur aliquid omnes boni, quòd, vt neminem lædam, sed singulis prosim (quantum in me situm est) ad pœnitentiam pietatemq́ vocando, nobile hoc argumentum de Misericordia dei nobili tuo animo assiduè se præclarissimarum rerum studio oblectanti offeram. Deus florentissimam adolescentiam tuam, omnium virtutum ornamentis excultam, per omnes itidem honorum gaudiorumq́ gradus ad seram senectutem, tandemq́ per Christi vnius Misericordiam ad sempiternam fœlicitatem perducat. Chéema.

Aprilis 2. Anno 1607.

Tuæ illustri dignitati omni officio
dedititissimus,

THOMAS PLAYFERVS.



DE MISERICORDIA DEI IN DIFFERENDA IRA.

2. SAM. 24. 16.

Sufficit.



Euerendi patres, chariq; fratres in Christo; vnicum hoc vocabulum SVFFICIT sufficit ad commonstrandum, dei misericordia quàm infinita sit. Primus Cain ipse maledictus deo maledixit, dicens; Maior est iniquitas mea, quàm vt remitti queat. Imò, quàm debeat. Præsertim cum linguâ peccaret atrociùs, quàm manu. Patris misericordiam extenuando, quàm fratris fundendo sanguinem. Quocirca verè maior est, quia falsò esse dicitur. Quæ veniam impetrare potuisset, si capacem se veniæ putasset. Est enim malitiæ hominis abyssus magna, sed magis inexhausta bonitatis dei. Si igitur abyssus abyssum inuocârit, diuinæ misericordiæ abyssus abyssum facillimè absorbebit humanæ malitiæ. Ac Micheâ

Gen. 4. 13. *Secũdum versionem Munsteri, & expositionem patrum.*

Ierem. 17. 9. *Inscrutabile.* Ephe. 3. 8. *Imperuestigabiles diuitiæ.*

cheâ prophetâ teste, omnia nostra in profundum maris peccata proiiciet. Quare vt scintillula se habet ad vastissimum oceanum: sic hominum peccata ad pii
Psal.42.8. parentis clementiam. Aut potius non sic. Quia nul-
Miche.7.19. lum pelagus tam est immensum, quin suis littoribus
Crysostomi simile. Hom.3. De pœniten. atque limitibus concludatur. Dei autem misericordia limitem & terminum non habet. Non horruit, vt
Bernardus in Canticũ ser.22. suauiter Bernardus, non horruit confitentem latronem, non lachrymantem peccatricem, non Cananæam supplicantem, non deprehensam in adulterio, non sedentem in telonio, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persequutorem discipulorum, non ipsos crucifixores suos.

Quocirca tam infinitæ admiratio misericordiæ
Psal. 45.9. neutiquam miranda, sed ipsa. Quæ Dauidem ita perculit, vt obstupescens exclamaret; Miserationes eius super omnia opera eius. Non solum nostra, quæ sæpiùs mala quàm bona, sed etiam eius, quæ tantum-
Gen.1.31. modò bona & valde bona perspexit. Vt enim oleum melli, vino, aquæ, reliquisque liquoribus innatat: consimili ratione, oleum misericordiæ dei cæteris eius omnibus præstat operibus. Hinc appellatur ab
2.Cor.1.3. Apostolo, Pater misericordiarum, & deus omnis consolationis. Propterea quòd singula à se condita haud aliter adamat, quàm architecti & opifices sua opera. Misericordiam verò nunquam abstrahi à suo sinu at-
2.Sam 12.3. que complexu patitur, sed semper eam quasi filiolam suauiatur suam. Rursus & alibi dicitur, Diues in mise-
Ephes.2.4. ricordiâ. Non in agris, non in pecuniis, non in angelis, non in cælis. Quia licet ista omnia possideat, potest tamen hisce creare meliora. Sed Diues in misericor-
diâ

diâ est, quâ nulla maior, aut melior. Scitè igitur Hilarius; Hoc in deo præcipuum, hoc in potente laudandum, non cælum fecisse quia potens est, non terram fundasse quia virtus est, non annum astris temperasse quia sapiens est, non hominem animasse quia vita est, non mare in accessus & decessus mouisse quia Spiritus est; sed misericordem esse qui iustus est, sed miserantem esse qui rex est, sed dissimulantem esse qui deus est.

Hilarius in illa verba Psalmi 145.7. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt.

Quapropter videor esse mihi verissimè dicturus, dei misericordiam non super omnia eius opera solùm, verumetiam super eius attributa omnia eminere. Quid enim in diuinis attributis iustitiâ augustius? Tamen, vti sanctus Iacobus affirmat, misericordia iustitiæ insultat, de eaque gloriosè triumphat. Hoc in Moysis arca figuratum fuit. Extra quam, propitiatorium: intra, legis tabulæ. Propitiatorium est misericordiæ symbolum, eum propriè designans in quo solo nobis propitius est pater. Tabulæ legis iustitiam dei promulgant in lege patefactam. Itaque propitiatorium supra tabulas, quid aliud est, quàm misericordia supra iustitiam? Quod adhuc etiam liquebit apertiùs. Quippe olim duo Cherubini ante paradisum collocati, & flammeum gladium versatilemque vibrantes, ad arborem vitæ occludebant aditum. Hîc autem duo Cherubini supra propitiatorium collocati suasque alas explicantes, aperiunt viam ad vitæ arborem. Siquidem expansis suis alis Christum adumbrant, qui de seipso sic loquitur; Tota die expandi manus meas ad populum rebellem & contradicentem. Et iterum; Quoties volui congregare filios tuos,

Iacob.2.13. Exod.25.17. Rom.3.25. 1.Ioh.2.2. Gen.3.24. Exod.25.18. Rom.10.21. Matth.23.37.

ſicut gallina pullos ſub alas,& noluiſtis? Quare Cherubinorum in verſatili illorum gladio iuſtitia fuit: in horum extenſis alis ſolummodò miſericordia. Vt luce clarius ſit,propitiatorium omni modo miſericordiã polliceri. Cherubinorum adumbratione non minùs,quàm ſignificatione ſuâ. Ex alterâ parte, tabulæ legis non omni modo minitantur iuſtitiam. Scri-
Exod.20.6. ptum enim in tabulis ipſis legimus; Ego ſum deus tuus,viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in millia his qui diligunt me,& cuſtodiunt præcepta mea. Quamuis igitur lex haud aliud quicquã ſit,quàm quædam veluti publicatio,aut vt ita dicam proclamatio iuſtitię,miſericordiam tamen millies maiorem, quàm iuſtitiam oſtentat. Vt non immeritò miſericordia dicatur aduerſus iuſtitiam gloriari,quia vbi de illâ ſermo, huius nulla mentio; vbi autem iuſtitia denunciatur, aurei pariter promittuntur miſericordiæ montes.

Heb.9.4. Porrò, præter arcam, alia etiam in Sanctuario fuerunt. Aureum thuribulum: vrna mannę: Araonis virga. Aureum thuribulum nil aliud olet quàm miſericordiam,illudque ſacrificium quod Chriſtus in crucis altari velut odrilitium patris naribus admouit.
Matth.2.11. Vnde magi noſtro pontifici recèns nato obtulerunt, aurum,thus,& myrrham. Vt innuerent,eum aliquan-
Ephe.5.2. do ſanctiſſimum ſuum corpus plenum vulneribus per quæ precioſus ſanguis efflueret, ſicuti aureum thuribulum plenum foraminibus per quæ gratus nidor aſcendit,deo patri oblaturum in odorem ſuauitatis. Proinde attulerunt; aurum quidem ad conficien-
Exod.30.34. dum aureum thuribulum : thus autẽ & myrrham ad

ſuffitum

ſuffitum adolendum. Ita; magi Chriſto, aurum, thus, myrrham: Chriſtus patri, aureum thuribulum. Iam, mannam ſimiliter meram ſpirare miſericordiam, docet Pſalmiſta. Qui inter alia dei beneficia in veteres Iſraelitas hoc quóque repetens ait; Pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit illis. Atqui Chriſtus ſeipſum hunc panem eſſe confirmat. Cùm enim dicerent Capernaitę; Patres noſtri comederunt manna in deſerto: ſubijcit illicò Seruator; Ego ſum panis ille vitæ, qui de cælo deſcendi. Ideoq; gentium doctor eſcam ſpiritualem mannam nuncupat, quia ſpiritualiter denotabat Chriſtum. Et alibi iterum ipſe Dominus; Vincenti, inquit, dabo manna abſconditum, id eſt, æternam gloriam. Namq; manna deſcendens de cælo, eſt gratia Chriſti: manna abſcondita in cælo, eſt gloria Chriſti. Vtraque, & gratia, & gloria, ex æquo miſericordia Chriſti. At verò virga Araonis monimentum fuit iuſtitiæ diuinæ. Vtpote quæ tot iudicia, tot miracula ediderat: magnum ipſa etiam, dum floruit ac fronduit, miraculum. Figura proculdubio illius virgæ, quâ de dicitur; Virga æquitatis, virga regni tui: dilexiſti iuſtitiam, & iniquitatem odiſti. Quamobrem ſi pluris id fiat cuius memoria plurium imaginum religione ceremoniaque ſacratur, tum certè conſentaneum eſt, deo miſericordiam chariorem. Quoniam huius triumphos atque trophæa in thuribulo & mannâ expreſſit: iuſtitiæ duntaxat in virgâ. Simùl & illud perpendendum, mannam in aureâ vrnâ reconditam fuiſſe, virgam non item. Imò Moyſes ipſe, inclytus legiſlator & iuſtitiæ præco primus hanc virgam qui tractauit, nô fuit in aureâ vrnâ, ſed in ſcirpeâ fiſcellâ ſeruatus. Optimè, & aptiſſimè.

[Margin notes: Pſal. 78. 24. — Ioh. 6. 51. — 1. Cor. 10. 3. — Reuel. 2. 17. — Num. 17. 10. — Pſal. 45. 7. — Exod. 16. 33. — Exod. 4. 17. — Exod. 2. 3.]

Psal.78.25. mè.Manna angelorum cibus, in aureâ vrnâ: virga viminea, in scirpea fiscella. Sedenim res quæque quò maioris æstimatur pretij, eò & splendidiùs ornatur, & asseruatur diligentiùs. Vnde colligitur, suam deo videri, auream misericordiam, iunceam iustitiam. Ac delectari eum, magis misericordiæ suæ thesauris & diuitijs, quàm iustitiæ telis. Quia illas auream in vrnam reponit: hæc in iunceam fiscellam reijcit. Gal.3.24. Esai.10.5. Quemadmodum enim pædagogus quàm primum delinquentem castigauerit, virgam protinus mittit è manibus: ita lex quæ pædagogus est ducens ad Christum, vbi peccantes punierit, statim Asshurem virgam diuini furoris, non in auream vrnam, sed in scirpeam iunceámue fiscellã, vel in aliquẽ angulũ, vel etiam in ignem conijcit. Quapropter præclarè cœlestis citharœdus, Psalmo centesimo vndecimo, hisce ver- Versibus 4 & 3 bis; Misericors, & miserator dominus, & iustitia eius manet in seculũ. Semel solùm iustitiæ, bis misericordiæ meminit. Ac si diceret; Misericors, in Cherubinorum alis: & miserator dominus, in propitiatorio: & iustitia eius manet in seculum, in tabulis legis. Rursus; Misericors, in aureo thuribulo: & miserator dominus, in manna: & iustitia eius manet in seculum, in virga Araonis. Misericors, & miserator dominus, & iustitia eius manet in seculum.

Quid agitis, Auditores? Miramininè misericordiam dei? Rectè facitis. Quin sanè mirarer, nisi miremini. Nam & cœlites simùl omnes vobiscum mirantur. Sed quid si magis mira audiatis? Quid si nunc dicam non modò dei misericordiam iustitiæ alijsque eius attributis præcellere, sed & deum per misericordiam

diam

diam ſeipſum quodammodo deuincere? Aut potiùs, ſi placet, non dicam. Me tacente parumper, pro me dicet, vel veriùs pro deo dicet, & de deo dicet ſanctus Paulus; Fidelis eſt deus : ſeipſum negare non poteſt. 2.Tim.2.13. Papè! ſtupenda verba! Non ait, Suam miſericordiam negare non poteſt: ſed, Seipſum negare non poteſt. Quod ſi aliud quicquam ipſe quàm miſericordia eſſet, negare miſericordiam poſſet, licèt negare ſeipſum non poſſet. Nunc, non negando ſeipſum donat miſericordiam, qui non donando miſericordiam negaret ſeipſum. Ita, ſuperare ſeipſum poteſt deſertos miſerando, negare ſeipſum non poteſt miſericordiam deſerendo. Quomodo enim negaret Rom.8.32. ſeipſum nobis, qui dedit ſeipſum pro nobis? Aut qui iam dedit vitam ſuam, quomodo negaret miſericordiam ſuam? Vnde rex Dauid egregiè; Deus meus, miſericordia mea. Quæ verba tractans ſanctus Auguſtinus exclamat in hunc modum; O nomen, ſub quo nemini deſperandum eſt! Deus meus, inquit, miſericordia mea. Quid eſt Miſericordia mea? Si dicas, Salus mea, intelligo, quia dat ſalutem : ſi dicas, Refugium meum, intelligo, quia confugis ad eum: ſi dicas, Fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem. Miſericordia mea, quid eſt? Totum quicquid ſum, de miſericordia tua eſt. Feciſti vt eſſem, & non tu feciſti vt bonus eſſem? Dediſti mihi vt ſim, & potuit mihi alius dare vt bonus ſim? Si tu mihi dediſti vt ſim, & alius mihi dedit vt bonus ſim, melior eſt ille qui mihi dedit vt bonus ſim, quàm ille qui mihi dedit vt ſim. Porro, quia nemo te melior, nemo te potentior, nemo te in miſericordia largior, à quo accepi vt eſſem, ab illo accepi vt bonus eſſem. Deus meus,

Auguſt. in fine concionis ſecundæ in Pſal. 59.18.

mi-

miſericordia mea. Quod ſi eruditiſſimo patri ſic licuit exponere, Deus meus, miſericordia mea; hoc eſt, Totum quicquid ſum, de miſericordia dei ſum: quidni & mihi liceat ſic exponere, Deus meus, miſericordia mea; hoc eſt, Totum quicquid eſt, miſericordia deus eſt. Nam ſi deus meus ſit miſericordia mea: tum deus eſt miſericordia. Cùm enim Meum dico, oſtendo quid ſit mihi: cùm Deum dico, quid ſit in ſeipſo. Proinde ſi deus meus ſit mihi miſericordia mea: tum eſt deus in ſeipſo miſericordia. Ideoque dum multiplicat miſericordiam, ſuperat ſeipſum. Ac planè negaret ſeipſum, ſi negaret miſericordiam. Quia ipſe
Cap. 2. 23. eſt, & ipſa eſt miſericordia. Dicente Eccleſiaſtico; Secundum magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius.

Imò, non Secundùm magnitudinem, ſed Supra
Lament. 3. 28. *Ex vulgatâ.* magnitudinem ipſius, miſericordia illius. Propheta Ieremias ſic habet; Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius, & ta-
Lament. 1. 14. *Peccati iugum.* cebit, quia leuauit ſe ſupra ſe. Quibus verbis condi-
Matth. 11. 29. *Pœnit. iugum.* tio hominis verè pœnitentis deſcribitur. Qui quantum antè per peccati iugum deiecerat ſe infra ſe, tantum nunc per pœnitentię iugum leuat ſe ſupra ſe. Ita duæ res planè pugnantes, peccatum & pœnitentia, efficiunt in homine, vt deijciat ſe infra ſe, & leuet ſe ſupra ſe. In deo vna facit miſericordia vtrumque. Qui & deijcit ſe infra ſe, factus ipſe humanæ naturæ particeps: & leuat ſe ſupra ſe faciens hominem diui-
Heb. 2. 16. *Σπέρματος Ἀβραάμ.* næ naturæ conſortem. Singula hæc in hiſtoria Hæmorroiſſæ videmus, quæ tetigit Chriſtum, & ſanata fuit. Per morbum peccati deiecit ſe infra ſe. Nam erogauerat in medicos omnem ſubſtantiam ſuam,

nec

nec eorum ab vllo potuit sanari. Atque ita pro vno duobus malis conflictata est. Inualitudine, ac paupertate. Per medicinam pœnitentiæ leuauit se supra se. Nam dixit intra se, Si tetigero vel fimbriam vestimenti eius, sanabor. Verùm hic tactus, fidei fuit magis, quàm manûs. Quia dum tetigit fimbriam, apprehendit misericordiam. Ergo similiter cœlestis medicus per eam misericordiam, quam mulier apprehendit, ipse tetendit; & deiecit se infra se, & leuauit se supra se. Deiecit se infra se, cùm se fecit vnum è turba. Nisi enim per inauditam misericordiam deiecisset se infra se, nunquam potuisset, vel premi à multitudine, vel tangi à muliere. Leuauit se supra se, cùm sensit virtutem exire de se. Nisi enim per eandem eximiam misericordiam leuasset se supra se, nunquam dixisset mulieri; Filia, fides tua te saluam fecit. Quasi diceret; Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa mea. Auerte oculos tuos à me, quia meum pectus perfodiunt. Victa es ad violentiam, sed violenta ad victoriam. Quia dum vim mihi infers, virtutem à me refers. Ac tangendo vestem meam, pestem tuam depellis. Proinde manus tua te sanam fecit, sed fides tua te saluam fecit. Quippe dum sistitur fluxus sanguinis, illabitur influxus salutis. Atque ita quæ quæris operam medici, mediatoris misericordiam inuenis. O si nunc scirem, miser ego & misellus si nunc scirem, aut beati omnes angeli in cælis si scirent, quibus verbis tam diuina mansuetudo amplificari debeat, quibus laudibus tam admirabilis misericordia extolli! Hic est, hic est verus ille Sampson, qui ob amorem Ecclesiæ suæ, veluti Hæmorroissæ huius, aut Dalilæ illius; & deiecit se infra se, cùm a Pharisæis vt a Philistæis captus est: &

[Margin notes: 2.Pet.1.4. Θείας φύσεως. Luc 8.43. *Erogauerat.* Mar.5.28. *Fimbriam.* Mar.5.24. *E turbá.* Luc 8.46. *Virtutem.* Luc 8.48. Cant.4.9. Cant.6.4. *Bernar. Ser.64 in Cant.* *Victa es.* Iud.16.21. Iud.16.30.]

leuauit se supra se, cùm moriendo interfecit plures quàm viuendo. Secundùm illud Ambrosij; In morte seipsum vicit. Si namque deus gloriæ, vt monarchæ huius mundi nouos orbes exquirunt: sic aliud regnum supra suum cœleste regnum quæsiuisset, non modò non illustrasset, sed omninò minuisset maiestatem suam. Etenim desiderando aliquid altius, negasset seipsũ esse Altissimum, quo nihil altius. Nunc, mundum inferiorem istum tanquam suæ theatrum misericordiæ creans: ac hominem post creationem lapsum erigens per mortem filij sui, redimensque ab omnibus, & peccatis, & peccatorum pœnis: atque quod maius est, etiam cùm inimici essemus, sanctorum nos conciues, & domesticos suos constituens; hæc inquam faciens, O quàm honorificum filio suo nomen dedit supra, supra omne nomen! O quam splendidam nomini suo gloriam dedit, gloriam vel ipsis Seraphicis spiritibus adorandam! quia, cùm in magnitudinis & potentiæ operibus longiùs progredi non potuit, in misericordiæ muneribus tantò admirabiliùs seipsum superauit, quantò est redemptio mundi, quàm creatio gloriosior. O deus! O pater infinitæ maiestatis ac gloriæ! Laudent, in æternum laudent, & celebrent misericordiam tuam, omnes filij, & serui tui. Tu pietate ac misericordia tua, omnia opera nostra superas: tu misericordia tuâ, omnia opera tua superas: tu misericordia tuâ, omnia attributa tua superas: vno verbo, tu misericordia tua, teipsum superas.

Epistola. 70.
Luc 1.35.
Rom 5.10.
Tit. 2. 14.
Gal. 3. 13.
Ephes. 2. 19.
Phil. 2. 9.
Psal. 115. 1.

Cæterùm ornatissimi Academici, quò meliùs notionem

tionem ſententiamque percipiatis vnius verbuli, SVFFICIT, oro vos ne grauemini tria tantùm alia verba memoriæ mandare. Quæ hæc ſunt; *Differenda : Inferenda : Auferenda.* Oſtendam enim, quàm admiranda ſit Miſericordia dei in ira ſua, primò *Differenda* : ſecundò *Inferenda :* tertiò *Auferenda.* Hæcque ex vnica voce iſta SVFFICIT deducam omnia.

Sed antequam de miſericordia dei dicere plura progrediar, ſupplex peto à patre miſericorde noſtro, quandoquidem ſine miſericordiæ eius ope de miſericordiæ eius opibus nihil dignè dici queat, idcirco nunc miſericordię ſuæ & opem & opes oſtendere dignetur, in me miſericorditer ſubleuando qui ſum de eius miſericordia dicturus. Ita, nihil omnino metuero, non tempeſtates vllas, non fluctus, non ſyrtes, non ſcopulos; quin proculdubio fœlici curſu nauigauero, ſi miſericordia dei, ſit ventus quo propellar, ſit clauus quo dirigar, ad eum portum quem peto.

Primò dicendum de Miſericordiâ dei in *Differenda* irâ. Ecce ego, inquit ore Amoſi loquens, Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno. Qui plauſtrum fœno onerant, mergites & manipulos fœni preſſè coarctant perangu-ſtéque referciunt, dum ad plures recipiendos contrudendoſque nihil ſpacij ſuperſit. Eodem modo, deus ſe patitur vt plauſtrum noſtrorum onerari peccatorum pondere, donec non ſit ferendo diutiùs. Sed tamen qui nimis graue onus dei ceruicibus inijciunt, ſuis capitibus terribile væ illud arceſſunt; Væ

Amos 2.13. *Ex vul. verſ.*

Eſa. 5. 18.

qui

Psal.2.3. qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, &
Ezec.40.3. quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicunt; Disrumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis densos funes illorum. Qui habitat in cælis irridebit eos, & in furore suo conturbabit illos. Habet enim in manu, vt vidit Ezechiel, funiculum lineum, & calamum mensuræ. Impij quidem deum suis peccatis vinciunt: ipsi nolunt dei iudiciis vinciri. Ideo trahunt iniquitatem quasi vinculum plaustri: sed
Mat.7.2. vincula legum iudiciorumque disrumpunt. Deus autem funiculo lineo ligat eos, vt excurrere longiùs peccando non possint, quàm quo funiculus iste profertur: & calamo mensurę suæ, cùm est completa mensura scelerum eorum, quâ mensurâ mensi fuerant, remetietur illis. Tumque expediet se è funiculis peccatorum quos impii traxerant, & im-
Gen.41.21. pediet eos densis funibus iudiciorum quos disrupe-
Esai.17.1. rant. Atque ita, vt vaccæ illæ septem macilentæ de-
Esa.19.1. uorabant septem obesas: sic funiculus lineus dei fu-
Esa.23.1. niculos vanitatis constringet, & calamus mensuræ vinculum peccati, vt plaustri, consumet. Hinc frequens formula est in prophetis, Onus Ægypti, Onus Damasci, Onus Tyri; atque ita in aliis. Quæ demonstrat peccatum, dum perpetratur, onus esse dei, dum
Luc 13.4. punitur onus esse hominis. Vtque octodecim illi rui-
Gal.6.6. nâ turris Siloe oppressi sunt: ita singulos proprium onus portaturos, ac nisi maturè resipuerint, pro grauitate scelerum quibus deum presserunt, graues itidem deo daturos pœnas. Namque deus se intoleranter vexari non patitur modò, vti iam dixi, sed & fatetur, & queritur. Calendas vestras, & solennitates
Esa.1.14. vestras odit anima mea: facta sunt mihi molesta: la-

boraui

boraui ſuſtinens. Et alio loco, Non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure: veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, & prębuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. O incredibilem impietatem hominis: pietatem & patientiam dei! Homo ſeruire deo debet: non deus homini. Nedum peccato. Attamen tanta eſt hominis impietas, vt per eam, & ipſe ſit, & deus peccatorum ſit ſeruus. Ipſe faciendo, deus patiendo peccata. Vt inſignem eſſe dei miſericordiam oporteat, qui tametſi nouis quotidie oneribus peccatorum impoſitis, quaſi ſeruus atrienſis, aut baiulus aliquis fatigetur, vel etiam vt plauſtrum prematur, differt adhuc iram ſuam, nec ſumit ſupplicium. Eſa.43.23.

Iam qui onerari ſe ſinit vt plauſtrum, præterea ſtridet vt plauſtrũ. Ecce ego ſtridebo ſubter vos, inquit, ſicut ſtridet pauſtrum. Quo declarat, cùm iram differre diutiùs non poſſit, ſed neceſſariò nunc pœnam irrogare debeat, ſe non tacitè peccatoribus imparatis obrepere, ſed miſericorditer præmonere eos, ac quaſi ſtridore quodam iram ſuam & pœnam appropinquantem prodere. Id innuit Pſalmiſta inquiens, Pſal.60.6.
Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcûs. Quemadmodum igitur Ionathas tres ſagittas emiſit, ad Dauidem amicum, non ſemel feriendum, ſed ter monendum: ſimilimè deus ſignificationem dat ſuis, vt fugiant à facie arcûs. Quocirca non dixit Noæ, vt pulchrè notat Ambroſius, Ponam in nubibus ſagittam: ſed, Ponam arcum. Arcus enim inſtrumentum eſt iaculandæ ſagittæ, neque arcus ipſe vulnerat, ſed ſagitta. Ergo poſuit in nubibus arcum 1.Sa.20.20. *Libro de Noe & arcâ. ca.17.* Pſal.7.13.

non

non sagittam, id est, quod haberet terroris indicium, vulneris effectum non haberet. Iuxta illud Psalmistæ iterum; Si non conuertatur quis, acuit gladium, arcum tetendit, & parauit illum. Qui acuit gladium, non iam pugnat, sed propediem pugnaturus videtur. Hinc Sceninus, quòd pridie eius diei, quo Neronem constituerat occidere, rubiginosum quendam pugionem acuisset, vt proditor comprehensus est. Etenim qui pugiunculum acuebat, aliquem putabatur pereмpturus. Haud dissimili modo deus, non ferit dum acuit, sed acuit vt feriat. Vel potiùs acuit vt non feriat. Sed vt homines caueant ne feriat, dum vident quòd acuat. Atque ita cauendo plagam effugiant, quam deus acuendo intentat. Quocirca acuit gladium, vt nos acuat ad vigilantiam: intendit arcum, vt nos intendamus animum: parat sagittas, vt nos ad pœnitentiam paremur. Hoc probat diuinus vates, hisce verbis; Num clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Si leo rugiat, quis non timebit? Est enim duplex tuba. Vltima tuba: & prima tuba. De vltima tuba loquitur Paulus, Omnes resurgemus in nouissima tuba: de prima tuba loquitur propheta, Num clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Vltima tuba vocat ad lætitiam: prima tuba, ad pœnitentiã. Vltima excitat, ad præmium: prima, ad prælium. Illa tuba pauorem excutit: hæc tuba incutit. Vnde propheta; Num clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? Sic etiam leo rugiens, vnius generis non est. Est enim leo rugiens, quærens quem deuoret: & est leo rugiens, quærens quem conseruet. De quærente quem deuoret, loquitur Petrus; Diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem

Refertur à Machiauello Disputationum li. 3. c. 6.

Amos 3. 6. & 8

1. Cor. 15. 52.

1. Pet. 5. 8.

quem deuoret: de quærente quem conseruet loquitur propheta; Si leo rugiat, quis non timebit? Quærens quem deuoret expectat prædam; quærens quem conseruet expectat pœnitentiam. Deuorans, habet clauem Abyssi: conseruans, habet clauem Dauid. Ille leo rugiens, fallacem securitatem suadet: hic leo rugiens, tutum timorem. Vnde propheta; Si leo rugiat, quis non timebit? Idcircò & Baptista cùm interrogaretur, Quisnam esset? Vox clamantis in deserto, inquit, Parate viam domini. Tota autem Ioannis prædicatio huc spectauit, vt peccatores pœnitentiam agerent, & pararent se ad recipiendam Christi misericordiam & gratiam, & fugerent ab ira ventura. Et sic sanè totus, hic stridor plaustri; hic clangor tubæ; hic rugitus leonis; hic clamor vocis, nil aliud est quàm vehementissimum dei desiderium cupientis suam iram differre, surgentisque de nocte ad mittendum seruos suos prophetas quibus decretum suum reuelauit, vt peccatoribus imminentia pericula præmonstrent.

Reue.20.1.
Reue.3.7.
Mar.1.3.
Mat.3.7.
Iere.26.5.
Amos 3.7.

Tale plaustrum stridens fuit Moyses, qui Pharaonem vas iræ coagmentatum ad interitum maximo quidem opere cupiebat, imò maximis operibus mirandisque prodigiis cupiebat ab irâ & interitu eripere. Sed qui obdurauit cor suum, & stridorem plaustri huius audire noluit, tandem coactus est stridorem populi sui audire plangentis atque eiulantis, in cæde primogenitorum, & hiatu maris. Ac quidem consimili modo omnes obstinatos peccatores, quos stridor plaustri non permouet, stridor dentium puniet. Talis tuba clangens fuit Esaias, cui Dominus dixit; Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annun-

Rom.9.22.
Exod.12.29.
Exod.14.28.
Matth.8.12.
Esa.58.1.

Sap.17.19. annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Ia-
Eſa,62.1. cob peccata eorum. Domino autem clangens hæc
tuba veluti Echo aliqua viciſſim reſpondet; Propter
Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſ-
Ionas 1.2. cam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtitia eius, & ſa-
Ionas 3.4. lus eius vt lampas accendatur. Talis leo rugiens fuit
Ionas 4.11. Ionas, cui Dominus dixit; Surge, & vade in Niniuem ciuitatem grandem, & prædica in eâ; quia aſcendit malitia eius coram me. Ergo rugiens hic leo ſurrexit, & ciuitatem magnam itinere trium dierum, vnius diei itinere totam ſuo rugitu compleuit. Sic-
Gen.18.20. que præter innumerabiles alios natu grandiores,
Gen.19.7. centum viginti millia infantum ſeruauit. Talis vox clamans diu ante Baptiſtam fuit iuſtus Lot. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; ait Dominus. Nolite quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere; ait Lot. O ſingularem dei miſericordiam! Populus per peccatum ſuum clamat ad deum pro pœnâ: deus per ſeruum ſuum clamat ad populum pro pœ-
Prouer.1.24. nitentiâ. Sed dei clamor populi clamore obruitur.
& 26. Quid igitur dominus? Quia inquit, vocaui & renuiſtis, ego quoque in veſtro interitu ridebo. Ac quia miſericordiæ clamorem contemnitis, clamorem iræ audietis. Tumque non ita multò poſt pluit ſuper illos ignem & ſulphur de cælo. Tremendum & horribile iudicium. Ignem & ſulphur de cœlo? Quid hoc
Gen.19.24. rei eſt? Ignis & ſulphur euomi ſolent ex inferis. Cur
Iudæ, ver.4. igitur pluit deus ignem & ſulphur de cœlo? Vt doceat, eos qui gratiam dei conuertunt in laſciuiam, etiam patientiam dei in furorem, & quodammodo ipſos cœlos in inferos cõuertere. Quod quidem optimo

timo iure huic populo contigit. Qui Pharaoni similis ſcelere, ſupplicio non admodum diſſimili mulctatur. Ille fluctibus & aquis obrutus, hic igni & ſulphure conſumptus. Interim miſericors dominus, dum ſtridet, dum clangit, dum rugit, dum clamat, non obſcurè ſignificationem dat, malle ſe differri iram, quàm inferri ſuam.

Porrò plauſtrum quale hoc Amoſi eſt onuſtum fœno, dum trahitur, non modò magnum edit ſtridorem, ſed lentè etiam pedetentimque procedit. Quod eodem modo de deo dici poteſt. Qui lentus eſt tarduſq; ad iram, vt longius det peccatoribus pœnitendi ſpacium, liberiuſque tempus ad ſaniorem mentem atq; ad frugem redeundi meliorem. Itaque cùm nequicquam proficere ſe ſentit, vel hominum ſcelera tolerando, vel ſcelerum ſupplicia prædicendo, ad pœnas quidem expetẽdas accedit, ſed, vt plauſtrum onuſtum fœno, valdè cunctanter & tardè. Si enim nos ad ea ſimus plerumq; tardiores quæ inuiti facimus, non mirum id deo contingere. A quo tam Eſa.28.21.
eſt iraſci alienum, quam eius eſt proprium miſereri. Iraſcitur, inquit propheta, vt faciat opus ſuum alienum opus eius, vt operetur opus ſuum peregrinum opus eius. Quibus verbis iram dei, & ſuum opus, & non ſuum opus appellat. Suum opus, quia ſic iuſtitię eius ratio requirit: non ſuum opus, ſed alienum & peregrinum opus, quia eſt ad miſericordiam naturâ propenſior. Siquidem ira in indignatione eius, & vi- Pſal.30.6.
ta in voluntate eius. Nõ vita in indignatione eius, & 1.Tim.6.4.
ira in voluntate eius. Quia tam indignatio eius mor- 2.Pet.3.9.
tem non vitam affert, quàm voluntas eius vitam non

iram affert. Vult enim omnes fieri ſaluos,& non vult quemquam perire.Itaq; nunquam iraſcitur,niſi cùm ad indignationem hominum prouocatur peccatis, ſemper vitam dat, quamdiu ſuæ ſinitur voluntati ac conſuetudini ſeruire. Tanquam apis ſuâ ſponte mel colligit,aculeo neminem niſi laceſſita pungit: haud aliter ſuauis dominus ad ſeueritatem eſt tardior,quia mel miſericordiæ ſuapte naturâ fundit, aculeum iræ non niſi coactus infigit.

Geneſ. 3.8.
DE, non auget, ſed emollit ſignificationem verbi.
Aul. Gel. lib. 6. cap. 16.

Hoc,vel in primo dei iudicio perſpicuè apparet. Sic namq; ſcriptum videmus; Cùm audiſſet Adam vocem dei deambulantis in paradiſo, abſcondit ſe. Deus ad ſcelus vlciſcendum acceſſurus, vocem edit, & deambulat. Vocem edens, imitatur ſtridorem plauſtri: deambulans,tarditatem. Deambulare enim propriè eſt tardiſſimè ſine vlla iactatione quaſſúue corporis, animi cauſâ duntaxat, vnum aut alterum ſpacium in porticulâ conficere. Ex quo ſequitur,deum non ferri præcipitem,nec nimiùm feſtinanter in flagitioſos irruere, ſed Deambulare vt ita loquar, ſic enim ſcriptura loquitur, Deambulare inquam, & placidè ſedatéq; ad iudicia exercenda procedere.

Verſu. 50.
Et. Munſterus ante Tremellium; Librauit ſemitã iræ ſuæ.
Sap. 11.21.

Hinc Pſalmo ſeptuageſimo octauo ſic legimus; Viam fecit ſemitæ iræ ſuę. Tremellius transfert; Librauit iter ad iram ſuam. Doctè quidem, atque eleganter. Docet enim hęc verſio, Deum, qui omnia in pondere & menſurâ diſponit, antequam iraſcitur ponderare & quaſi librare, non cauſam modò propter quam, ſed & viam per quam ira ſua prorumpet. Itaq; priuſquam iuſtitię ſuę pondera imponit in eam libram in quâ maleficia examinat,videt miſericordiam ſuam & patientiam prope deprimi & prępondera-

rari

rari hominum peccatis. Cúmq; animaduertit, peccata peccatis accumulata ita ingraueſcere tamq; eſſe ponderoſa vt miſericordiam depreſſura videantur, eoq; pacto periculum eſſe ne depreſſa miſericordia planè contemnatur, hominumq; non iam peccatis ſolùm ſed vel pedibus etiam proteratur, niſi à iuſtitiâ iuuetur: tum demum pondera iuſtitiæ & iræ ſuæ in eandem lancem cum miſericordiâ imponit, vt quę facinora ſola miſericordia reprimere non potuit, ea, miſericordia & ira iunctis ſimul viribus ponderibuſque deprimerent. Et ſic, Librat iter ad iram ſuam.

Sed vulgatam ſequemur, ſi placet; Viam fecit ſemitæ irę ſuę. Semita peditum eſt, non equitum. Eorumq; non armatorum, ſed inermium. Imperatores quidem quà ducunt exercitum, omnia circumcirca depopulantur & vaſtant. Is verò qui ſolus eſt dominus exercituum etiam cum iratiſſimus copias vniuerſas educit ad pugnandum, extra ſemitę certę cancellos quos ſuę irę circundedit non ſinit eam vagari. Ita, vix totus orbis iram Alexandri aut Cęſaris feret: exigua & anguſta ſemita iram dei incluſam continebit. Adeo vt cùm iracundiâ inflammari incipit, tardè potiùs Deambulare in Semitâ videatur, quàm acriter in campo pugnare.

Quà anguſtè ibant Semita, vt Semyter dictum. Varro de Lin. la. l. 4. Semita, itineris dimidium, à Semytu dicta. Semita autem hominum eſt. callis ferarum. Iſidor. Ety. lib. 15. cap. 16. Et. lib. Diff. 539

Iam qui irę ſuę ſemitam, & ſemitę viam facit. Facere autem ſemitę viam, quid aliud eſt quàm facere ſemitam ſuper ſemitam, vel viam ſuper viam? Quo docemur, iram dei non priùs aduentare, quàm duas videat ſibi patêre vias. Vna via eſt, quód tam diu deum quaſi plauſtrum onuſtum fœno noſtris onerauerimus peccatis: altera via eſt, quod tam diù deus quaſi plauſtrum ſtridens, ſuis nos onerauerit pręceptis &

monitis. Et tamen, nec conſcientia peccatorum, nec ſcientia prçceptorum adhuc nos à maleficiis deterret. Venit igitur ira dei per duas vias. Per viam remedii, & per viam medii. Per viam remedii, vt ſit remedium illius inobedientiç quç peccare non deſinit: per viam medii, vt ſit medium illius obedientiç quç pœnitere incipiat. Itaq; tardiſſimus eſt & expectat indies dum pœnitentiâ noſtrâ omnes vndiq; irç ſuç obſepiamus vias. Vbi autem è contrà non modò magnam feneſtram, ſed & viam ſatis amplam aperimus eius iudiciis; viam dico? imo ſemitam & viam, id eſt duas ſemitas vel duas vias, quodammodo complanatas & quaſi pauimentatas noſtris peccatis ſternimus; tum quidem, licèt valdè inuitus, & ſerò admodum, attamen aliquando tandem ad puniendum accedit.

Vnde etiam perſpicitur, deum longè aliâ viâ venire ad ſuccurrendum, quàm ad ſuccenſendum nobis. Quippe de ſponſo propitio ſpiritualis ſponſa cecinit;
Cant. 2.8. Ecce venit ſaliens per montes, tranſiliens colles: de eodem irato amicus ſponſi cecinit; Viam fecit ſemitç irç ſuç. Currit igitur cùm ſuccurrit, ſalit, tranſilit, per colles, per montes: cùm ſuccenſet, nec per montes, nec per colles, nec tranſilit, nec ſalit, ſed tardiuſ-
Ioh. 20. 26. culè in ſemitâ, vel ſaltem in viâ deambulat. Cùm miſeretur, ianuis etiam clauſis ſuos venit conſolatum diſcipulos. Nihil poteſt, non obiectus collis, non oppoſitus mons, non obſerata ianua, nihil poteſt curſum impedire miſericordiç eius. Ac ne quidem retardare. Hinc dominus ad Eſaiam; Voca nomen eius, Accele-
Eſa. 8. 3. lera-ſpolia-detrahere, Feſtina-prędari. Quia celeriter ſpoliaturus erat diabolum, feſtinantérq; illi humanum

num genus captam quasi prædam erepturus. Secùs est cùm irascitur. Nisi ianuam apertam & patentem, viamq; facilem ac compendiariam, stratam sibi atq; munitam videat, non venit. Quòd si Moyses aliquis in confractione stet, qui dudum excanduit nunc propemodum exalbescit, eiusq; quæ paulò antè efferbuit iam subitò deferuescit ira. Psal.106.23.

Postremò, deus se facere & iræ suæ semitam, & semitæ suæ viam dicens significat, semper restare, locum misericordiæ ex parte suâ, locum pœnitentię ex parte nostrâ. Nam continet iram intra semitam, aut si eruperit è semitâ non longè digressa est, adhuc in viâ est. Itaq; quamdiu hic viuis, non tu solùm viator es, sed & deus viator est. Tu peccatorum immanes strues, ingentésq; aceruos congessisti, quibus onerasti deum. Quid tum postea? Nullo modo propterea desperes: Nullo modo. Vt enim tu peccata peccatis: sic deus semitas semitis, & vias vijs aggessit. Surge igitur ocyùs è somno peccati. Vade ad patrem tuum & dic, Peccaui pater. Propera, quantũ potes. Quantò ille magis tardat, tantò tu magis festina. Quantò ille magis differt iram, tantò tu minùs differ pœnitentiam. Nunc, tempus acceptum est. Nunc, dies salutis est. Dum tempus habes, operare bonum. Dum lucem habes, ambula in luce. Iam Assuerus auream virgam extendit, audacter propiùs accede. Iam angelus turbat aquam, contende vt prior descendas. Quære dominum, dum inueniri potest. Adhuc eum in viâ inuenies. Ibi hæret: ibi restitat: longas moras interponit: patienter te expectat. Ecce tres anni sunt, ex quo venit quærens in te fructum. Dimisit te, & hoc anno. Ergo dum sic venit, & in viâ est, fac eum

Ier.14.8. *Viator est.* Ephes.5.14. Luc.15.18. Cant.2.10. Hebr.4.11. Ecclesiasticus 5.8. Esa.49.8. 2.Cor 6.2. Gal.6.10. Ioh.12.35. Ester.5.2. Ioh.5.4. Esa.55.6. Luc.13.7.

Matth.5.25. amicum tibi per pœnitentiam, quem fecisti inimi-
1.Cor.11.31. cum tibi per peccatum. Præuenias iram,& iudicia e-
Psal.119. 148. ius. Iudica teipsum, vt ne iudiceris à domino. Præ-
Psal.63.7. ueniant eum oculi tui diluculò. Memor esto eius su-
Amos 4 12. per stratum tuum. In matutinis meditare de eo. Pa-
1.Cor. 10.22. râre in occursum dei tui. Crede mihi, multò te forti-
Luc.14.32. or est. Venit cum viginti millibus,contra tua decem
Mittant legatos pro suis doloribus lacbrymas. Cyprian. lib.2. Epist.7. millia. Dum igitur procùl adhuc in viâ est, mitte legationem ad eum. Pete inducias, & pacem. Sint lacrymæ legati, viua fides tua, vera pœnitentia tua, legati sint ad deum. Et quemadmodum Abigal, pia & prudens mulier, occurrit irato Dauidi, & cecidit ad pedes eius, & dixit, Aufer, domine mi, iniquitatem famulæ tuæ; cui Dauid, Benedicta tu,quæ prohibuisti me hodie,ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu meâ: sic tu,sancta anima,quæcunq; es, osculare pedes filij Dauid cum peccatrice ne fortè irascatur, præoccupa faciem eius in confessione, agnosce iniquitatem tuam, dic tu peccata tua priùs vt iustificeris, humillimis precibus & pœnitentiâ tua prohibe eũ ne se vlciscatur, quinimò in viâ cõgredere & luctare cum eo, atq; vt alter Iacob tene manus eius, nec dimitte eum donec benedicat tibi, & dicat
1.Sam.25.28. & 33. tibi cum Dauide, Benedicta tu, quæ prohibuisti me
Luc.7.38. hodie ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu
Mar.10.47. meâ. O chari Fratres! chari Fratres! Quid hic magis
Psal.2. 12. mirer? magis mirer? Deíne patientiam, an nostram
Psal.95.2. proteruiam & stuporem? Qui cùm iram tam cle-
Prou.18.17. menter differat, misericordiam tam amanter offerat,
Gen.33.24. à plerísq; nostrûm nihilominùs, tam impiè & tam
Esa.64.7. ingratè contemnitur. Dicit alicubi in Psalmis, Cùm
Cant.3.4. accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Et ecclesiæ
Psal.75. 3. *Accepero tempus.*

Thyatiræ

Thyatiræ ſcribi iubet, Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret. Proinde deus, accipit tempus, & dat tempus. Accipit ſibi, dat homini. Accipit ſibi tempus, vt pœnam ſumat, & tum iuſtitias iudicat. Dat homini tempus, vt pœnitentiam agat, & tum miſericordias offert. Nunc dat nobis tempus, & miſericordiam offert. Nunc ſe nobis offert vt filijs. Ecce ſponſus venit, prodeamus ei obuiam. Ecce ſtat ad oſtium, & pulſat. Vox dilecti noſtri pulſantis; Aperi mihi amica mea. Ergo ſurgamus, vt confeſtim aperiamus dilecto noſtro. Hodie, dum cognominatur Hodie, audiamus eius vocem. Ne dicamus, vt Felix ille infœlix Paulo, Ad præſens abi, tempore autem opportuno accerſam te. Quaſi verò præſens tempus non ſit maximè opportunum? Ne dicamus, vt Agrippa Feſto, Cras eum audies. Quaſi verò coruus in ſuperliminari non ſic crocitet? Omnis proCraſtinatio hâc in re periculoſa. Captanda occaſio ſalutis magis, quàm obſeruanda facies cœli. Iam igitur liquefiat anima noſtra, dum dilectus noſter loquitur. Iam contremiſcat cor noſtrum ad contactum eius. Dilectus noſter mittit manum ſuam per foramen. Si peſſulo oſtium occludamus, illicò abibit. Tum quæremus eum, & non inueniemus. Vocabimus, & non reſpondebit nobis. Tempus quod nunc eſt, non erit impoſterùm. Miluus in cœlo cognouit tẽpus ſuum. Necnon turtur, & hirundo, & ciconia. Nedum nos debemus. Tempora enim & momenta, non in noſtrâ ſunt, ſed in poteſtate dei. Iurauit angelus per viuentem in ſecula, quòd tempus non erit ampliùs. Et alter angelus, cui nomen Vriel, tria impoſſibilia Eſdræ propoſuit. Pondera mihi pondus ignis, inquit: aut menſura mihi

Reuel. 2. 21.
Dedi tempus.
Hebr. 12. 7.
Matth. 25. 7.
Reuel. 3. 10.
Cant. 5. 2. 5.
Luc. 12. 36.
Confeſtim.
Hebr. 3. 13.

Act. 24. 25.
Act. 25. 22.
Sophoni. 2. 14.
Vox coruina, cras, cras. Coruus de arcâ miſſus, non eſt reuerſus. Non quærit deus dilationem in voce coruinâ, ſed confeſſionem in gemitu columbino.
Aug. in Pſal. 102.

Luc. 12. 56.
Facies cœli.
Cant. 5. 6. 4.
Ierem. 8. 7.
Act. 1. 7.
Reuel. 10. 6.
4. Eſdr. 4. 5.

mihi flatum venti: aut reuoca mihi diem quæ prçterijt. Vt igitur nec ignis poteſt ponderari, nec ventus menſurari: ſic nec dies præterita reuocari. Quod ſi nec præteritum tempus poſſit eſſe præſens; quia dies præterita non reuocatur: nec præſens poſſit eſſe futurum; quia tempus non erit amplius: tum præſens tempus arripiamus; quia præteritum fuit, ſed non eſt; præſens eſt, ſed non erit; futurum nec fuit, nec eſt, nec erit. Saltem nec fuiſſe, nec eſſe ſcimus: num autem erit neſcimus.

Ioſu.6.4. Dicite mihi, obſecro. Quid perdidit Iericho, niſi quòd præſens tempus non arriperet? Iſraelitæ iubentur ſex continuis diebus ſemel, ſeptimo die ſepties, clangere buccinis, & circuire ciuitatem. Quidnam hic clangor buccinarum, niſi ſtridor plauſtri? Quid ſunt tam longæ circuitiones & deambulationes circa ciuitatem, niſi tarditas plauſtri? Vulgò dicimus; Facilius eſſe deſtruere, quàm extruere. Non eſt ita in deo. Sex diebus totam cæli mundiq; machinam extruxit: vrbeculam Iericho non niſi ſeptem diebus deſtruit. Quare citiùs extruit miſericordia eius totum mundum, quàm deſtruit ira eius exiguam ciuitatem. Cúmq; Iſraelitæ non ferrum diſtringant, ſed buccinis ſolùm clangant, manifeſtum eſt ſceleratos hoſce, non dei armis, ſed ſuis peccatis & impœnitentiâ perire.

Exod.20.11.

Ionas.3.4. Quid ex alterâ parte ſeruauit Niniuem, niſi quòd oblâtam miſericordiam ſingulari diligentiâ amplecteretur & fide? Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Dum plauſtrum ſic tardè trahitur, tempus diutiùs protrahitur. Numerus autem quadragenarius optimè conuenit pœnitentibus. Propterea

quòd

quòd vera pœnitentia exprimitur potissimùm tribus hisce; Ieiunio; oratione: eleemosynâ. Ieiunium, ad bona corporis: oratio, ad bona animi: eleemosyna, ad bona fortunæ refertur. Vnde & tres illi qui in monte Tabor transfigurati sunt; Christus: Elias: Moyses; soli leguntur ieiunasse diebus quadraginta. Quamuis verò singuli essent egregij ieiunatores, tamen præcipuè; Moyses ieiunio: Elias oratione: Christus eleemosynâ, excelluit. Nam Moses primus omnium tam diu ieiunauit: Elias oratione suâ cœlum, & clausit & aperuit: Christus eleemosynâ, non victum sed vitam impertit. Niniuitæ etiam statim pœnitentiam egerunt, omnibusq; hisce simul excelluerunt; ieiunio: oratione: eleemosynâ. Ac proinde veniam sunt, & misericordiam adepti.

Luc. 9. 30.
Exod. 24. 18.
Iam. 5. 18.
Ioh. 10. 28.

Dicite mihi, iterum. Quid perdidit Ierusalem, nisi quòd tempus visitationis suæ nesciret? O si cognouisses, vel saltem in hac die tuâ, quę ad pacem tibi! Interrupta sententia est, hominis singultu sua deglutientis verba. Vel potius hominis verba non sunt, sed piæ atq; paternæ commiserationis & doloris. Subaudiendum enim; Tum perbeata esses: At nunc funditùs euertêris. Etenim occiderat prophetas, & lapidârat ad se missos. Ea fuit lapidibus quasi strata semita ad iram dei. Cruci tandem dominum gloriæ etiam suffixit. Hęc iam via quoq; fuit ad semitam. Quid igitur? Num subitò eos, vt Chore, Dathan, & Abiram, terra dehiscens absorpsit? Minimè verò. Sed vt Elizeus non immisit duos vrsos in pusiones illos, antequam ex illis quadraginta duo ei petulantissimè illusissent: sic deus iram suam perdiu distulit, nec immisit duos vrsos, Vespatianum & Titum, qui Ierusa-

Luc. 19. 44. & Vers. 42.
Luc. 13. 34. *lapidarat.*
1. Cor. 2. 8. *suffixit.*
Psalm. 106. 17.
2. Reg. 2. 24.
S. Prosperi simile.

lem lacerarent, ac vaſtarent, ac ne quidem lapidem
eius ſuper lapidem relinquerent, priuſquã illi menſu-
Luc.19.44. Matth.23.32. ram patrum complêſſent, & perſeueraſſẽt totos con-
tinuos quadraginta duos annos, non vnguibus, ſed
dentibus, id eſt, dentatis maledictis, conuitijs, pro-
bris, lacerantes, illudentes, contemnentes Chri-
ſtum. Ita, quos dei tarditas ad iram ſeruare potuiſſet,
eos ſua & propria tarditas ad pœnitentiam perdidit.

Quid è contrà ſeruauit Noam, niſi quòd admo-
Hebr.11.7. 2.Pet.2.8. nitus de ijs quæ nondum cernerentur, prępararet ar-
cam? Irridebatur quidem perpetuò à ſannionibus,
& ſcurris, & interpellatoribus odioſis. De die in di-
em iuſtam eius animam iniquis ſuis, & operibus cru-
ciabant, & ſermonibus. Heus, bone vir, inquiunt,
quid te ſic maceras? quid vis tibi? aut quid quæris?
Nunquam tam manè egredimur, neq; tam veſperi
Teren. Heau. Act.1.sc.1. domũ reuertimur, quin te conſpicemur, aut lignum
cædere, aut tabulam dolare, aut bitumen effodere,
aut clauos impingere, aut aliquid facere ad arcam ap-
parandam. Deniq; nullum tempus remittis, neq; te
reſpicis. Fabulam nobis narras be diluuio. Et dic ſo-
Geneſ.6.3. 120 *annos.* des, Ecquando tuum hoc erit diluuium? Poſt cen-
tum & viginti annos. Ridiculum caput! Tu qui iam
Geneſ.7.6. 600.*annos.* ſexcentos annos natus es, metuis diluuium vno aut
altero ſeculo ſubſequente futurum? Quin, ſi ſapis,
para tibi, potiùs ſepulchrum vt ſubter terram conda-
ris, quàm arcam vt ſuper aquam fluites. Sed hæc om-
nia Noam minimè mouerunt. In arcâ, quemadmo-
dum deus iuſſerat, fabricandâ nihilò laborauit mi-
nùs. Quinimò quò dominus in pœnâ ab impijs re-
petendâ tardior, quóq; illis ad pœnitentiam agen-
dam ſpacium magis diuturnum conceſſit, eò Noa
minùs

minùs in opere perficiundo tardus, magiſq; ſedulus in redimendo tempore. Ergo deus viginti annis de præfixo tempore deciſis iuſtum Noam ſeruauit, diluuio in mundum impiorum inducto. *Viginti annorum ſpacijs amputatu. Hieron. in Trad. in Gen.* 2.Pet.2.8.

Forſitan dicetis mihi; Cur dei tu tarditatem ad iram tam vehementer verbis extollis, quando ex eo quidem tempore quod promiſit, præcidat aliquid atq; amputet? Venit enim interdum, vt videtur, citiùs, non noſtrâ opinone ſolùm, ſed promiſſione etiam ſuâ. Sed nihil eſt, doctiſſimi Auditores, quod tam facilè expediam. Quippe certò conſtat electos omnes è vitâ exire, cùm ſunt optimi: reprobos, cum peſſimi. Quia illi diutiùs ſi viuerent, eorum fortaſſis mutaret malitia intellectum: ſin hi, illuſtriorem præ ſe ſaltem ferrent ſpeciem pietatis. Nec tamen in hoc deus immitis exiſtimandus, quaſi eos tollat è medio, quos præſentit meliores ſi viuerent futuros. Non enim ementitæ ſanctitatis ſimulatio meliorem efficit, ſed duplo peiorem. Centieſq; magis diaboli filium, qui transformare ſe ſolet in angelum lucis. Proinde nec illi reuerà improbiores, nec hi probiores euaderent, ſed dum illi remittere aliquid putarentur de primæ charitatis feruore, hi nouis ignibus diuini amoris ardeſcere, non tam euidenter conſtare nobis ratio poſſet, vel miſericordiæ dei in illis conſeruandis, vel in hiſce condemnandis iuſtitiæ, ſi eos bearet in quibus mali plus ineſſe quàm boni videretur, hos perderet qui ſaltem ſpecie eſſent ad bonum propenſiores quàm ad malum. Cùm igitur videt dominus homines profecturos in melius, tum venit tardiùs. Vt in Ezechiâ. Etſi enim ſatis pius & pœnitens extitiſſet, ſi efflâſſet animam quo tempore ægrota- Sap.4.11. 1.Ioh.3.10. 2.Cor.11.14. Reuel.2.4. Cant.8.6. Eſa.38.6.

bat, tamen quia deus meliorem postea fore præuidit, contrà quam decreuisse visus est, facilè patitur eius vitæ quindecim alios prorogari annos. Secùs est in his irrisoribus quibus viginti annos præripit. Venit enim hic citiùs, quia videt si diutiùs viuerent, quantumuis pietatem simulassent, semper tamen reipsâ profecturos in peius. O prodigium! O miraculum! Etiam hoc ipsum, negare illis misericordiam, est infinita misericordia. Siquidem, vt scribit ille, multo tempore non sinere peccatores ex sententiâ agere, sed statim vltionem adhibere, magni beneficij indicium est. Propterea quòd hoc pacto, maiorem damnationem, iudicium durissimum, & plures illas plagas effugiunt. Vnde concluditur, misericordiam dei non in cœlis solùm & terris, sed verò in inferis etiam splendescere. Quia de eorum plagis & pœnis qui semper spiritui sancto restiterunt, detrahit atq; diminuit quantum potest. Sed iam reuertamur ad rem.

2.Mac.6.13.
Luc.20.47. *damnationem.*
Sapien.6.6. *iudicium.*
Luc.12.47. *plagas.*
Act.7.51.

Hæc exempla quæ adduxi, causam in bono lumine, vel certè in clarissimâ luce constituunt. Nunquam Fabius ille Maximus talis cunctator fuit, ac deus noster. Itaq; non vnus homo nobis, sed vnus deus nobis rem cunctando restituit. Plaustrum hoc tardigradum non est signum cœleste, sed signum cœlestis ac diuinæ misericordiæ. Venit enim, ad Iericho, septem diebus: ad Niniuem, quadraginta diebus: ad Ierusalem, quadraginta annis: ad Noam, centum annis. En quàm tardè ad vindicandum veniat, quàm longumque nobis tempus ad pœnitendum concedat! Concedit septem dies. Septem? Imò, quadraginta dies. Dies? Imò, quadraginta annos. Quadraginta? Imò, centum annos. Annos plures dat nobis

Cicero. de Senect. Principio.

ad

ad pœnitendum, quàm ad viuendum. Nam anni vitæ nostræ sunt septuaginta: anni pœnitentiæ nostrę sunt centum. Vt etiam, si fieri posset, cùm vita nobis non supersit ampliùs, vitæ tamen deberet pœnitentia superesse. Psalm.90.10.

Quid dicam, quòd in his exemplis, extrema media sint, media extrema? Loquar apertiùs. Ierícho & Noe extrema sunt, includentia Niniuem & Ierusalem; sed media sunt, quia in Iericho non omnes vastati, sed Raab meretrix seruata est: in Noâ non omnes seruati, sed mundus impiorum vastatus est. Ierusalem & Niniue media sunt inter Noam & Iericho; sed extrema sunt, quia in Ierusalem omnes vastati: in Niniue omnes seruati. Atq; ita, extrema media sunt, media extrema. Quid hinc discimus? Hoc nimirum. Quemadmodum in Ierusalem, omnes vastati; in Iericho & Noâ, quidam vastati, quidam seruati; in Niniue, omnes seruati: sic si nulli è nobis pœnitentiam agant, omnes vt in Ierusalem, peribimus; si quidam è nobis pœnitentiam non agant, quidam agant, vt in Iericho & Noâ, quidam peribimus, quidam viuemus; si omnes nos pœnitentiam agamus, omnes, vt in Niniue, viuemus. (O quanto in lucro deputaret hoc deus, vno si iactu retis sui Euangelici omnes omnium nostrûm animas capere posset! Matth.13.47.
Diabolus enim dicit, Da mihi animas; vt perdat eas: Genes.14.21.
deus, vt postquàm pœnitentiam egerint in terris, coronet eas in cœlis, dicit, Da mihi animas; tibi tolle cætera.) Sed si omnes nos pœnitentiam non agamus, certè, vt docet dominus in Euangelio, tolerabilius erit Ierosolymitanis in die iudicij quàm nobis, quia illi Christum morte mulctantes quid agerent

Iac.2.25. Matth.21.31. Hebr.11.7.

nesciebant, nos scientes voluntatem domini non facimus: imò, non solùm Raab meretrix è Iericho procedet, & præcedet nos in regnum cœlorum; sed & Noe, qui per fidem condemnauit mundum, nos quoq; in hoc mundo condemnabit: &, quod horribilius est, verissimum tamen, etiam Niniuitæ surgent

Luc.11.32. Ionas 4.11. Matth.25.33. Ionas 3.7.8.

in iudicio, & condemnabunt nos; nec pueruli illi modò qui nesciebant quid dextram inter & sinistram esset, nos inter hœdos ad sinistram collocabunt; sed vel mutæ illæ pecudes, quæ in communi ciuitatis periculo ac luctu nec ederunt quicquam nec biberunt, & prætereà sacco sunt cilicioq; indutæ; mutæ, inquam, illę pecudes, vt asina Balaam humanâ voce loquentes, redarguent stultitiam nostram; ipsæ loquentes, nobis os obstruent in die iudicij; ipsæ, quę

2.Pet.2.16. *Humanâ voce.* Matth.22.13. *Ille obmutuit.*

sunt mutæ, loquentur, nosq;, qui loquimur, mutos reddent in die illo; nisi nunc omnes nos pœnitentiam agamus.

Sed iam pace vestrâ bonâq; vestrâ cum veniâ, Venerandi patres, & fratres amantissimi, pecudes hasce mutas mittemus, & paulò propiùs ad Dauidem, atq; ad nosmetipsos accedemus. Hactenùs enim quæcunq; Amosi de plaustro diximus, ad tria membra possunt omnia refundi. Ad *onus* plaustri: ad *stridorem* plaustri: ad *tarditatem* plaustri. Nunc igitur videamus, num omnibus his modis misericordiam deus non declarauerit in Dauidem.

Quod attinet ad *onus* plaustri; Dauidis peccatum fuit

fuit superba curiositas, siue, si id malitis, curiosa superbia. Lepidè quidam dixit, Athenienses opinor, Plutarch.
aut alios nescio quos, nummos habere ad nihil aliud quàm ad numerandum. Vtut sit, rectissimè hoc de Dauide dicatur, non nummos eum, sed subditos vt nummos habuisse, tantummodò ad numerandum. Paululum modò interest. Auaritia illos: hunc concitauit superbia. Numera populum, inquit, vt sciam 2.Sam.24.2.
numerum populi. Perinde ac Adam, gustauit arborem, Genes.3.5.
vt sciret bonum & malum. Et Lucifer, ascendedere Esa.14.14.
voluit altiùs in cœlum, vt similis esset altissimo. Itaq; non leue hoc Dauidis peccatum, sed idem ferè, quod Adamum è paradiso, & Luciferum è cœlo extrusit. Siquidem promissum à deo locupletissimum acceperat; Persequentur quinq; de vobis centum alienos, & cētum de vobis decem millia. Quin- Leui.26.8.
etiam fides eius ante hoc tempus inuictissima extite- Psalm.3.7.
rat; Non timebo, inquit, millia populi ambiētis me. Genes.25.5. Exod.19.5.
Insuper deus Abrahamo spo sponderat, hunc populum, nempe peculium suum, innumerabilem fore. Adde eódem, nullam tum causam fuisse, quamobrem conscriberetur exercitus. Deinde hac ratione Leuitæ à sacro tabernaculo abstracti fuissent ad ta- 1.Chro.23.24.
bernaculum militare. Deniq; Dauid, vt erat figura & 25.
Christi, sic exemplum esse debuisset omnibus piis re- Ierem.17.5.
gibus, vt ne carnem ponerent brachium suum. Quãobrem, Ioab referens, numerum Iudęorum esse quadringenta septuaginta millia, numerum Israelitarum esse centum millia & mille millia, potiùs videtur numerum recensere, peccatorum quibus Dauid seruiuit, quàm subditorum quibus imperauit. Herclè e- 1.Chro.21.5.
nim planissimè, quot capita recensuit, tot scelera ca-

pitalia

pitalia consciuit. Vt non ingenuè magis quàm verè alicubi dicat; Iniquitates meæ multiplicatæ sunt su-
Psalm.40.12. Psalm.38.5. *Onus graue.* per capillos capitis mei, supergressæ sunt super caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Et tamen intolerabile hoc onus tam innumerabilium in vno peccato peccatorum, cui Dauid planè succubuit, incubuit totum, vt in plaustrum onustum fœno, sic in dei humeros, & patientissimè sustinuit.

Quod attinet ad *stridorem* plaustri; propheta Gad
1.Chro.21.12. mittitur à deo ad denunciandum Dauidi tria formi-
tribus annis. dolosa iudicia. Aut famem, tribus annis: aut gladi-
2.Sam.24.13. um, tribus mensibus: aut pestem, tribus diebus. Nunc ergo delibera, inquit, & vide quid respondeam ei qui misit me. Dat illi deliberandi spacium, liberamq; optionem è tribus vnum eligendi supplicium. Atqui deus non prouocârat Dauidem, sed Dauid deum ad iram suis peccatis. Et lex fecialis est, vt
Bellisarius. De singulari certamine. electio teli ad prouocatum pertineat, non ad prouocantem. Quare dominus plurimum de iure suo perbenignè remittit, qui, cùm penes ipsum sit quoduis genus supplicii pro suo arbitratu statuere, malit tamen vindictam ad nocentis optionem inflectere, quàm informare ad commodum & consilium suum. Verumenimuerò, hęc licèt valde mollis & misericors comminatio quantum Dauidi terrorem incusserit,
2.Sam.24.14. vel ex eo satis intelligitur, quòd responderit ad Gad; Coarctor nimis. Tanquam diceret, Antehac meis peccatis deum coarctaui, ac velut plaustrum onustũ fœno oppleui. Nunc cum plaustrum hoc moueri incipit domumq; remigrare, stridoribus fragoribusq; eius meæ aures obsurdescunt. Imò & obstupescit &

cohorrescit

cohorreſcit animus. Plauſtrum peccatorum meorũ plauſtrum dei iudiciorum reportat, quibus nimis heu nimis Coarctor. Antè quidem cor meum percuſſeràm,ſed iam cor meum dereliquit me, nec amplius remanet quod percutiam. Ita, pauor omnem mihi ex animo,non lætitiam ſolùm, ſed & ſenſum & vitam expectorat. Quapropter non nego, hæc prophetæ Gad denunciatio quin terribilis fuerit, tãtum hoc affirmo,etiam in iræ ſignificatione iſta non paucas fuiſſe impreſſas miſericordię excellentiſſimę notas, quòd dominus per prophetam ſtridẽs quodammodò Dauidi conceſſerit,& deliberandi tempus, & eligendi libertatem.

2.Sam.24. 10. *Percuſſeram.* Pſalm.40.13. *Dereliquit.*

Quod attinet ad *tarditatem* plauſtri, Dauid in hoc peccato ſecurè indormiuit nouem menſibus & viginti diebus. Legimus enim verſu octauo huius capitis, Ioabum de Dauidis mandato vniuerſam terram Iſrael eo ſpacio luſtraſſe. Tam diu igitur in hoc perſeuerauit peccato, quamdiu vterum geſtat mulier. Aut certè non multò ſecùs. Niſi quòd fortaſſis aliquantò diutiùs. Sic namq; nobilis illa mater Machabæorum filium natu minimum alloquitur; Fili mi, miſerere mei, quæ te in vtero nouem menſibus portaui. Adeo vt quod Dauid alioquin de Chuſi ſcripſerit aptiſſimè hoc loco in ſemetipſum quadret; Ecce parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Quid autem dominus? Nimirum ipſe etiam vnà cum Dauide dormiente dormit. Et in flagitio tam deteſtando, tamq; diuturno conniuet. Quod ſi zelo diuinæ iuſtitiæ incenſus quiſpiam iam tum Dauide in hoc peccato dormiente pre-

2.Sam.24.

2.Mach.7.27. Pſalm.7.15.

Plutarchus. catus fuiſſet, vt olim Romani; Lex Iunia, cur dormis?
Pſalm.44.25. aut vt nunc Chriſtiani; Exurge, quare obdormis do-
Eſa.42.14. mine? dominus fuiſſet illicò vti mihi quidem per-
Commentar. in Geneſin.lib.4. cap.15. ſuadeo reſponſurus; Tacui, numquid ſemper tacebo? Silui, patiens fui; nunc loquar vt parturiens. Nam, vt Ruperti Tuitienſis verba recitem, quemadmodum parturiens illud quod concepit non ſine ſenſu doloris emittit & tamen dolêre mauult, quàm non emittere quod concepit: ſic deus non ſine ſenſu pietatis profert ſententiam iudicij, & tamen victâ pietate miſerias malorum mauult videre, quàm non proferre quod iuſtitiâ dictante concepit. Quare? Quia videlicet vtilius eſt morbo ferramentum altiùs imprimere, quàm palpando putredinem fouere.
Iaco.1,15. Hæc ille. Summa eſt; Concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum verò conſummatum, generat mortem. Ita, peccati, mater concupiſcentia, filia mors. Ideoq; pœna facinoroſorum quę dormire videtur, reuerà nec dormit, nec dormitat. Sed vt canis domeſticus iacens ante fores, videtur quidem dormire, & tamen ſtatim latrat, latro ſi fortè veniat: ita pœna peccati excubat præ foribus, vt
Geneſ.4.7. Caino dictum eſt, flagitioſiſq; iudicium iam olim
2.Pet.2.3. non ceſſat, & perditio eorum non dormitat. Hinc
Ierem.1.11. dei iuſtitiam vocat propheta virgam vigilantem.
Eſa.5.11. Quòd non diligentiùs improbi vigilent, & primâ lu-
Matth.21.41. Pſalm.92.10. ce, ſæpe intempeſtâ nocte, ſurgant vt malè faciant, quàm dei virga vigilat, vt malos malè perdat, & puniat omnes qui iniquitatem operantur. Sed tamen permagna dei miſericordia eſt, quòd quamuis non omnibus dormiat vel hominibus vel temporibus, tamen in hoc Dauidis peccato tam tardè ſicuti plau-

ſtrum fœno onuſtũ venerit, & ſaltem diutiùs quàm nouem menſes frænare iram atq; inhibere potuerit. Cùm enim nos concipimus peccatum, ille concipit iram: cùm nos parturimus peccatum, ille parturit iram: cùm nos parimus peccatum, ille parit iram. Vnde ait; Loquar vt parturiens. Quia vt parturiens circungeſtat infantem in vtero quamdiu poteſt: ſic deus quoad poteſt tolerat noſtra peccata, nec antè ea punit, donec iram quam noſtra iniuſtitia tamdiu parturiuit, tandem eius iuſtitia pariat.

O dulciſſimi Fratres, vtinam ſaperemus, & intelligeremus, & vellemus hæc omnia ad noſmetipſos referre. Deut. 32. 29. Peccata noſtra, quis neſcit? quis neget? peccata noſtra grauia & oneroſa, fuerunt & ſunt. Vnum hoc Dauidis nullo modo cum omnibus noſtris comparandum. Nec verò minora nobiſipſis detrimenta & pericula pepererunt, quàm deo crearunt moleſtiam. Quemadmodum enim cùm audimus grandinem, non dubitamus illam quin vapores conflauerint è terrâ aſcendentes: ſic confitendum ſanè eſt, teterrimos ſcelerum noſtrorum vapores, celeriter ſuo clamore aſcẽdentes in cœlum, ac onere ſuo grauiter offendentes deũ, cauſam extitiſſe, & peſtis huius quâ periclitamur, & aliarum omnium, ſiue prẹteritarum, ſiue inſtantium, ſiue impendentium tempeſtatum.

Quid verò dominus? Numquid quòd totis eum peccatorum plauſtris oppreſſerimus, ſanctumq; eius ſpiritum, proh dolor, tam ſæpè contriſtauerimus, ſubito nos omnes peſte correptos detruſit in infernũ? Ephes. 4. 30.

O Fratres, nihil minus. Sic quidem commeriti sumus; Et sic facillimè potuisset. Sed absit à domino, vt rem hanc faciat. Non est hoc misericordiæ eius,
Genes.18.25. qui iudicat omnem terram. Non, Fratres. Sed tanquam flammulæ emicant atque coruscant, priusquam iactus fulminum & tonitrua cernātur; & cùm videmus nubem orientem ab occasu, statim dicimus
Luc.12.14. Nimbus venit, & ita fit: similiter coruscum dei verbum facem nobis iam diu prætulit, quâ hoc supplicium pestis cerneremus quasi fulgur erupturum; &
Mar.3.17. multi Eliæ, filii tonitrui, pii videlicet ac docti concionatores, cùm aliis in locis, tum in his ipsis rostris, sæ-
2.Reg.18.44. pe nobis ostenderunt nubeculam paruam vt manum hominis in fronte dei, quę iram eius prodidit, nobisque nimbum impendentem prædixit. Meministis, sat scio, neq; enim fieri potest tam citò vt penitus ob-
Anno 1601. liti fueritis, ante biennium in vesperiis natalis diei Christi, horribili terræmotu conquassatam nō Cantabrigiam modò tremuisse, sed totam hanc insulam. Vt cùm homines cernerent, vel terram suis conuulsam sedibus atq; fundamentis sub tanto onere scele-
Rom.8 22. rum quasi stridêre & tremere, ipsi itidem tremerent, deumq; timere inciperent. Terræmotum illum post vnum mensem insequutus est Hominismotus vt tum vocabam, videlicet repentina febris, aut nescio quo alio nomine appellem. Vt quamuis Iobum diabolus ad impœnitentiam adigere nō posset cùm tā-
Iob.2.5. geret ossa eius & carnem, tamen deus hoc faciens nos ad pœnitentiam impelleret. Fuit enim morbus medicis planè inauditus. Veruntamen consulti quidam ex iis respondebant, importunissimam pestem proximâ æstate grassaturam. Æstas illa successit: recessit.

cessit. Nihil tale contigit. Nunquam salubrius cœlum. Sed vt terræmotum febricula post mensem: sic febriculam pestis post annum sequitur. Ita, pestis non eo anno sæuijt qui à medicis prænunciatus est, sed anno consequente. Deo de industriâ, vt videtur, physicis & mathematicis illudente, vt appareat, has clades à nostris vitijs proficisci, non ab initijs naturæ. Vbi sanè diuino consilio mihi factum videtur, vt sicut inter terræmotum & febrem intercessit mensis: ita annus inter febrem & pestem. Siquidem vno hoc mense, & vno hoc anno, deus reuocare nobis voluit in memoriam, quàm multos antè menses, imo quàm multos antè annos, nostram pertinaciam tolerârat, expectârat pœnitentiam. Obsecro igitur vos, Fratres, per tenerrimam misericordiam dei, de quâ nunc loquimur, diligenter obseruetis infinitam dei erga vosmetipsos misericordiā. Ieremiæ prophetæ, primùm monstrauit virgam vigilantem quâ de dudum dixi: deinde bullientem ollam. Ita omninò nobis. Nam vt Salomon ait, Noli subtrahere à puero disciplinam, quia si percusseris eum virgâ non morietur: sic febris illa erat tanquam vigilans virga; quia quatenùs vigilans fuit, indicabat deum non dormire, sed saltem prospicere de cœlo & videre peccata nostra, quatenùs autem virga fuit, ita vt moreretur ferè neminem percussit. Namq; hominum peruagatus sermo tum erat, nunquam simùl plures ægrotâsse, obijsse pauciores. Ac quidem certis amicorum literis & nunciis significatum nobis fuit, vnâ septimanâ Londini hominum septēdecim millia ni malè memini decubuisse, homines ista febre laborantes tantùm occubuisse septem. Cæterùm quia hæc veluti virgæ iactatio pa-

Esa. 19. 12. & 44. 25. & 47. 13.

mathematicis.

Rom. 12. 1.

Ierem. 1. 13.

Prouer. 23. 13.

Psalm. 53. 3.

rum profecit, deus sepositâ virgâ vigilante quam contempsimus, mox ollam bullientem, id est iram magis stridulam atq; incensam ostendit. Vt quia lene remedium minùs salutare fuisset, acrius adhiberetur quod dolorem faceret. Proinde peste hac sæuiente, & nondum vt audio satiatâ, dominus nonnullorum hominum corpora & carnes quasi in olla bulliente lixatas morti deuorandas obiecit. Est igitur hæc sicut à Ionathâ missa ad Dauidem tertia sagitta: ita à deo missa ad nos Tertia admonitio. Quam necessariò, vt in collegiis, aut emendatio, aut amandatio sequetur. Nam si prima admonitio terræmotûs sufficisset, nullam vnquam febris commotiunculā sensissemus: si secunda admonitio febris suffecisset, pestis hæc sibiipsi extitisset pestis non nobis: si hæc Tertia admonitio pestis non suffecerit, certè vehementer verendum erit, nobis ne deterius aliquid contingat. Néue, vt vetat Hippocrates desperatis morbis adhibere medicinam: similiter deus paternam omnem nostri curam abiiciat, & dicat de nobis, vt olim de Babylone; Curauimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.

De Jonathâ vide ante p. 13.

Ioh. 5. 14.
Cicero ad Atticum. lib. 16. Epist. 14.
Ierem. 51. 9.

Sed & rursus, si placet, quæso animaduertite, quàm tardè deus ad hosce stridores vt ita dicam, & admonitiones accesserit. Vt Israelitarum in deserto: ita nostros mores quamuis perditissimos annis quadraginta pertulit. Imò plusquam quadraginta annis, dedit nobis verbum suum, dedit nobis pacem suam, deniq; quid facere potuit quod non fecit nobis, regnante Elizabethâ, principe commemorabili pietate, magnanimitate, eruditione, ingenio? Addo etiam, ad

Act. 13. 18.
Esa. 5. 4.

ad ſummam fœlicitatem,& natâ,& mortuâ. Nam nata ad mortalem,morte immortalem conſequuta eſt. Quæ dum nobiſcum viueret,tam chara ſuis ſubditis fuit, tam eoſq; omnes charos habuit, vt ſi quis inſit ſenſus notitiaq; conditionis noſtræ in beatis illis animabus quæ iam regnant cum deo, non dubitem, quin æquè nobis de præſente pace, ocio, concordiâ, tranquillitate quâ fruimur, ac ſibiipſi de ſuâ æternâ fœlicitate & gloria gratuletur. Non enim poſt beatiſſimum tam inclytæ principis obitum, protinùs cum Iſraelitis poſtquam vitulum adoraſſent, alter in alterius lateribus funeſtas ficas defiximus,vt,quod ab externis nonnullis hoſtibus expectatum fuit, totum hoc regnum cruore & ſanguine nataret,ſed vnanimi conſenſu,procerum,plebeiorum,omnium omninò, & ſingulorum,Iacobum primum Auguſtiſſimum regem noſtrum renunciauimus, acclamationibus & plauſibus ſupra cœlum ſublatis. Iacobum talem Virum, ſi modò fas ſit Virum dicere; talem inquam Herôa, qualis fuerat Elizabetha Heroîna. Vt iam fœlicitatem noſtram mirentur, id eſt, vt planiùs loquar, ſolam dei erga nos miſericordiam mirentur, non confæderati tantùm & amici, ſed vel coniurati hoſtes. O quàm miſericors deus, qui tam miſericordem & clementem principem nobis de cœlo demiſerit! Non enim nunc datur in cœlum ſubuolare, vt miſericordiam in amabiliſſimo patris vultu intueamur nobis per filium reconciliati radiantem, ſed nimirum in Sereniſſimi regis noſtri ſacro pectore ſuæ ſimulacrum miſericordiæ inſculpſit deus,illudq; nuper quaſi aliquod ſignum omnibus ad intuendum atq; ad benè ſperandum erexit. Sumite ſpecimen

Sic ſupponit Nazianzen. Inuectinâ. 1. contra Iulia. Audi anima Conſtantini, ſi quis ſenſus inſit. Et de laudibus Gorgoniæ. Si quæ tibi cura ſit noſtrorum bonorum.

Rom. 10. 6. *Non in cœlum.*

Diploma regis propriâ manu conſcriptum, quo vitam prorogauit D. Cobham, D. Gray,

& Griffino Markcam, datum fuit Decemb. 9. Anno 1603. Videlicet vno mense ante hanc habitam concionem.

Gyraldus in historiâ poetarũ. lib. 9. ex Valerio Maximo. acinus vuæ.

Plinius naturalis hist. lib. 7. cap. 7. vnus pilus.

Si rex quispiam perduellionibus, aut læsæ maiestatis conuictis ita loqueretur, Quicquid hactenùs tentatum aut gestum est, totum condono, parata est omnibus venia, modò posthac à simili facinore conquiescãt: nonne omnes fateantur prodigiosam principis misericordiam, quæ nec in corpora sontium sæuiat, nec bona fisco suo applicet?

Erasmus in cõcione, De Misericordiâ dei.

cæterarum virtutum eius ex misericordiâ, misericordiæ eius ex eo quod nuperrimè euenisse scimus. Nonnè audistis Clementissimum Iacobum nostrũ illis non ita pridem pepercisse, qui nec principi, nec patriæ, nec suo corpori, nec suæ animæ pepercerant? Conscientiâ propriâ conuicti hæsitabant. Tandem publico die condicto, proditione ipsâ proditâ & patefactâ, condemnati sunt. Tumq; in loco supplicii, ceruices eorum carnificis ferè manui, & tremulæ securi subiectę. SVFFICIT, inquit pius & misericors rex noster, SVFFICIT. Mors modò si iam illis esset illata, non vnus actus conficeretur, sed tota tragędia. Atqui hoc nihil est. Hoc tam facilè punctum acûs expedierit, quàm ictus securis. Vitam adimere illis, acinus vuę passę vt Anacreonti poetę, vnus pilus in haustu lactis vt Fabio senatori potest: vitam donare, & culpam condonare, sola misericordia nostra. Itaque aut sic mirabiliter ex mortis fatiq; faucibus erepti resipiscent, & quod reliquum vitę est totum ad gratiam deo principiq; tam diuino referendam singulari studio ac mente fideli transmittent, aut si tale quippiam tentârint aut vel cogitârint imposterum, vel ipsi, vel ipsorum amici, vel ipsorum aliqui similes; non carnifices sed furias, nec cruentas secures sed ardentes tędas expectabunt, nec homine condemnabuntur, sed iudice diabolo. Nempe si sacrũ illud pectus, illud misericordię sacrarium, ausi fuerint violare, quod tam promptè & alacriter omnibus supplicibus misericordiam offert, cùm ne iis quidem denegârit, qui prę atrocitate & immanitate sui sceleris, misericordiam, nec mereri, nec requirere, nec sperare, nec pænè dicam recipere potuerunt. O quanta quanta

hęc

hęc misericordia est, ibi esse misericordem, vbi summa misericordia videtur, esse crudelem; summa crudelitas, esse misericordem! Cumq; non pro horum salute cognati fuerint atq; affines deprecati, non propinquorum lachrymæ sordésq; lugubres principis oculos inflexerint, sed suâ spóte soloq; proprio motu, tam secretò, tam subitò, morti iam destinatos reuocârit, à morte ad vitam, à desperatione ad spem, ab exitio ad salutem, misericordiaq; eius calamitosissimis vltro occurrerit, nullius intercessione euocata; perspicuum est, quemadmodum iam dixi, tam regalem misericordiam originem à deo ducere, ac particulam esse supremæ cœlestisq; misericordiæ, spiritûs sancti ardore & afflatu illiquefactam in illius animũ, qui misericordiâ sic totus accenditur. Scribite nunc nouos annales, quotquot ocio abundatis & ingenio. Vah. Harum quotidianarum tædet me historiarum quas habemus. Præteritorum memoriam replicate temporum. Euoluite diligenter transactas regum nostrorum res gestas. Omnes historiarum quæ vllibi extant, recessus & angulos excutite. Nunquam & nusquam, tale misericordiæ reperietis exemplum. Exemplum? Tale? Enimuerò vel vnicum hoc exemplum sexcenta rerum nostrarum volumina illustrabit, efficietq; sole meridiano clariora. Cum igitur iam obsolescunt & sordent, quos tam diu triuimus, scribite nouos commẽtarios. Atq; in primo aditu & vestibulo lucubrationum vigiliarumq; vestrarum, hoc literis mandate, hoc memoriæ prodite, hoc consignate monimentis, Iacobum primum, primo anno sui regni, primum exemplum misericordię statuisse, sicq; initium imperij sui optimis auspicijs consecrasse,

ſecraſſe, dum exemplum miſericordiæ nullo alio ſimili exemplo æquiparandum ediderit, reuerà exemplum ſine exemplo, quod nulla vnquam obruere vetuſtas poſſit, nulla vnquam debeat obliuio delere. Quæ enim tam immemor poſteritas, quę tam ingratæ literæ reperientur, quæ huius lenitatis ac clementiæ gloriam, non immortalitatis memoriâ, atq; teſtimonio laudis æterno condecorent? O optimi Fratres, merita noſtra nunquam nobis & poſteris noſtris talem principem, verè patrem patriæ, tam clementē, tam eruditum, tam ſapientem, tam inuictum, tam pium pepercrunt: ſed ſola dei infinita miſericordia, nobis hæc ocia, vt inquit ille, in noſq; hæc omnia ſimul vno tempore inexplicabilia gaudia congeſſit. Benedictus ſis in terris & in cœlis, domine deus noſter, benedictus ſis, qui tibi vel ex ore infantium & lactentium præparaſti laudem. Infantes mediusfidiùs, & lactentes mihi credite, Auditores, nondum nati, ſed qui poſt centum aut mille annos naſcentur, & qui rurſus ab illis naſcentur, laudabunt deum ob huius temporis noſtri fœlicitatem ac lætitiam, totamq; eam ſoli eius infinitæ bonitati referent & miſericordiæ acceptam.

Pſalm. 8. 2.

Pſalm. 78. 6.

Nimis prolixus fui. Nunc breui complectar omnia, & concludam hanc primam partem quæ eſt, de Miſericordiâ dei in *Differendâ* irâ. Nos ſigillatim ſinguli coniunctimq; vniuerſi peccauimus. Peccatiſq; noſtris deum, quaſi totidem talentis plumbi preſſimus. Deus autem hactenùs haud aliud, quàm ſolùm vt plauſtrum onuſtum plumbo, vel fœno etiam, tardando

Lament. 3. 42.
Zachar. 5. 7.
Talētu plumbi.

dando stridit, siue stridendo tardauit. Cumque obruere nos seuerissimis iudicijs meritò potuisset, beneficiis cumulauit amplissimis. Testes fideles atque locupletes sunt duo principes, & illa sub quâ tam diu floruimus, & hic sub quo nunc lætantes ouantesq; triumphamus. Quare hoc duntaxat reliquum est, vt ne pergamus vlteriùs tantâ dei patiētiâ, seu potiùs munificentiâ abuti. Non enim tardat de- 2.Pet.3.9.
us, sicut quidam tarditatem existimant, sed patiens est erga nos, nolens vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere. Quidam videlicet tarditatem sic interpretantur; Tardè venit: ergo omninò non veniet. Ita Athei argumentantur; Vbi est promissio ad- 2.Pet.3.4.
uentûs eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia Psalm.73.11.
sic permanent ab initio creationis. Quomodo scit Iob. 22.14.
deus, & num est scientia in excelso? Non nostra considerat, sed circa cardines cœli perambulat. Ita Epicurei argumentantur; Oblitus est deus, auertit faciem suam, ne videat in finem. In longum differentur dies, & peribit omnis visio. Quin festinet, & citò veniat opus eius, vt videamus: & appropinquet, & veniat Psalm.10.11.
consilium sancti Israel, vt sciamus illud. Alii sic inter- Ezech.12.27.
pretantur; Tarde venit: ergo interea dum venit, Esai.5.19.
quicquid libuerit faciemus. Sic piger seruus ratiocinatur; Morã facit venire dominus meus: igitur incipiã percutere seruos, & ancillas, & edere, & bibere, & inebriari. Veruntamen veniet dominus serui huiusmodi in die quâ non sperat, & horâ quâ nescit, & diuidet eũ, parteq; eius cum infidelibus ponet. Sic meretrix ratiocinatur; Non est vir in domo suâ, abiit viâ longissimâ, sacculum pecuniæ secum tulit, in die ple- Luc.12.45.
næ lunæ reuersurus est in domum suam. Veni igitur, Prouerb.7.19. & 20. & 18.

inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illucescat dies. Sancta verò sponsa ex aduerso tarditatem sic interpretatur, Tardè venit; ergo patiens est erga nos, nolens vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere. Proinde tarditatem non interpretatur, stuporem, aut oscitantiam, ac si deus vel non videat peccata, vel si videat non curet; sed patientiam. Hácq; nullo modo potest vt abutatur adduci. Probè enim commeminit, hominem illum nobilem peregrè proficiscentem, rationem cum seruis post longum quidem tempus contulisse; contulisse tamen. Itaq; non disputat vt piger seruus, Quia gratia abundat, peccabimus: sed vt frugi ille Christi seruus Paulus, Apparuit gratia dei, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus. Non disputat vt meretrix, Quia non citò profertur sententia, absq; timore vllo perpetrabo mala: sed vt prudens virgo, Tardat sponsus, & forsitan vt fur mediâ nocte veniet; quocirca oleum in lampade semper paratum habebo, vt quandocunque venerit, intrem cum eo ad nuptias.

Matth. 25. 19. *Post multum temporis.*

Rom. 6. 1.
Tit. 2. 11.
Eccles. 8. 11.
1. Thes. 5. 2.
Mat. 25. 4. & 5.
Vt fur.

Rom. 2. 4.

Insignis est ille locus Apostoli, An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quod benignitas dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in diem irę, & reuelationis iusti iudicii dei. Perinde quasi diceret, Deus dum tardat patiens est erga nos nolens vllos perire, sed omnes ad pœnitentiam tendere. Tu autem hanc quę te ad pœnitentiam adducere deberet patientiam contemnens, ad pœnitentiam tendere non vis, sed perire vis thesaurizans tibi iram in diem irę. Mirabile

rabile autem est sanctum Petrum publicè à Paulo reprehensum in Epistolâ ad Galatas, in secundâ suâ Canonicâ publicè Paulum laudare. Sed expressè ac nominatim solam ob sententiam à me suprà recitatam. Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini, inquit, sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis. Pauli hæc verba sunt, Benignitas dei, ad pœnitentiam adducit: Petri hæc, Domini longanimitas, salus. Causa igitur salutis, est sola benignitas & longanimitas dei: sed via per quam adducimur ad salutem, est pœnitentia. Quam qui fingi formariq; in corde suo sinunt motu atq; appulsu efficacis vocationis dei ad fidem & pœnitentiam, ij diuitias bonitatis dei sibi coacervant, vt misericordiam inueniant in die illo: qui verò benignam hanc visitationem & vocationē contemnunt, ii thesauros iræ sibi congerunt in diem iræ, & reuelationis iusti iudicii dei. Quapropter vtrique quò progrediuntur longiùs, eò semper cumulum suum maiorem reddunt, locupletioresq; diuitias & thesauros comportant: sed illi diuitias misericordiæ, hi thesauros iræ. Vt enim bonus odor, reficit columbas, scarabeos enecat: sic tarditas & tolerantia dei, semper est bonus odor; sed pœnitentibus vitæ ad vitam, impœnitentibus iræ ad iram. Et quemadmodum solis calor, ceram emollit, lapidem indurat: pari ratione deus differens suam iram, emollit pium, qui de seipso ait, Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei; impium indurat, de quo Iob ait, Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.

Galat.2.11. 2.Pet.3.15. 2.Tim.1.17. Amos 3.10. *Gregorij Nysseni simile.* 2.Cor.2.14. Psalm.22.14. Iob.41.15.

Vnde grauiter propheta inuehitur in eos, Qui super

per dominum requiescebant, dicentes, Numquid
non dominus in medio nostrûm ? Non venient su-
Mich.3.11. per nos mala. Requies enim hæc non fuit Christia-
næ fiduciæ, sed lapideæ duritiæ, siue carnalis socor-
diæ. Quippe dei de misericordiâ præsumentes,& in-
terim altùm in peccatis stertentes, puluillos consue-
bant sub axillis manuum suarum, & ceruicalia facie-
Ezech.13.18. bant sub propriis capitibus. Hacq; falsâ persuasione
innixi, super dominum, id est super inanem spem
misericordiæ domini requiescebant,quasi super pul-
uillum subiectum cubito, vel super ceruicale capiti
suppositum. Atq; ita durum eorum & impœnitens
cor, super mollem puluillum,& plumeum ceruicale
iacebat. O perditam & profligatam impudentiam !
Cant.1.16. Quæ misericordiam dei,floridum scilicet lectulum,
Cant.3.10. & aureum reclinatorium,super quod ecclesia cubans
Cant.1.6. in meridie non excitatur quoadusq; ipsa velit, facit
Cant.2.7. puluillum aut ceruicale, super quod omnia fœdissi-
marum turpitudinum monstra requiescant. Quæ
misericordiam dei, arcem ac propugnaculum solo-
rum verè pœnitentium,facit altricem obstinationis,
fautricem sceleris,peccatorum receptaculum, flagi-
tiorum vndiq; confluentium sentinam. Facit Ada-
mi,vel ficulneum subligaculum,quo partem sui con-
Genes.3.7. Genes.3.8. texit, vel nemus densum & opacum, quo se totum
2.Cor.4.2. Τὰ κρυπτά. occultauit. Facit, vt loquitur Paulus, pallium nequi-
1.Pet.2.16. ἐπικάλυμμα. tiæ ; vt loquitur Petrus, malitiæ velamen. Et annón
plurimi inter nos planè eisdem verbis dictitant,
Numquid non dominus in medio nostrûm ? Non-
nè Templum domini, Templum domini sanctum
est,quod sumus nos? Nonnè Verbum domini,Ver-
Ierem.7.4. bum domini purum est, quod prædicamus nos ?

Nonne

Nonne insula nostra, asylum est religionis, exulum piorum perfugium, lumen gentium, totius orbis ornamentum? Nonne ecclesia nostra florentior est, quàm vlla vnquam ab heroicis fuerit Apostolorum temporibus? Non venient super nos mala. Nos requiescemus super dominum: mala non requiescent super nos. Et quamuis innumera proueniant à nobis mala peccata: tamen non venient vlla mala super nos supplicia. Antè enim regnante Fœminâ, contra omnes impetus hostium inuicti fuimus; inuictissimo Rege, quantò nunc magis? Antè cum se Anglia sola defendebat inimicorum gladios contempsimus, quantò magis nobis cùm iam Scotię robur ac virtus adiungitur? O Fratres, quis nos discreuit? Cur nos 1. Cor. 4. 7.
essemus omnium hominum fortunatissimi, si peccata nos nostra faciãt omnium mortalium miserrimos? Cur si multitudine, potentiâ, opibus nostris confisi, in eadem culpâ cum Dauide simus, non eâdem etiam pœnâ plecteremur? Amplioribúsne priuilegiis fruimur, quàm vir secundum cor dei? quàm Sion? quam Ierusalem? quàm mons templi? Sequitur autem continuò apud prophetam; Propter hoc Sion quasi Mich. 3. 12.
ager arabitur: & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit: & mons templi quasi excelsa syluarum. Huic prophetico Propter hoc, apostolicum Propter hęc optimè concordat. Fratres mei, inquit, nolite errare: deus non irridetur. Nemo vos seducat inanibus verbis: Propter hęc enim venit ira dei in filios diffidentię. Galat. 6. 7.
Numquid non dominus in medio nostrûm? mera Ephes. 5. 6.
dei irrisio est. Nolite errare, deus non irridetur. Non venient super nos mala: inania verba sunt. Nemo vos seducat inanibus verbis. Erramus, si deum irridemus:

mus:

mus: seducimur, si inanibus verbis attendimus. Ergo caueamus, ne seducti erremus: neue inanibus verbis attendentes irrideamus deum. Propter hęc enim venit ira dei in filios diffidentię. Propter hæc. Quid hoc est? Nimirum quia dicunt, Non venient super nos mala; Propter hęc verba, Venit ira dei in filios diffidentię. Propter hoc faciunt vt veniat ira dei, quia securitate suâ freti dicunt, Non veniet: quę reuera non veniret, si ne veniret, pręuenirent eam seriâ poenitentiâ. Nunc autem venit ira dei, non solum in irâ quę thesaurizatur, vt ira irę addita sit maior ira, sed in eos etiam qui iram thesaurizant, vt maiori irâ quasi incendio feruidiori deflagrent. Ac notandum, filios vocari hos, non confidentię, sed diffidẽtię. Qui enim
Prouerb. 10. 9. ambulat simpliciter, ambulat confidẽter. Et in timo-
Prouer. 14. 26. re domini, fiducia fortitudinis. Hi autem diffidunt deo suo, super quem requiescunt, dum confidunt quieti & securitati suę, quâ deum contemunt. Sicq; deum contemnentes, non timent, qui solam in misericordiam eius recumbentes, nunquam iudicia aut iram considerant.

Ecclesiastic. 5. 6. Hinc quidam sanè sapiẽter monet, Ne dicas, Misericordia dei magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira eius. Ne tardes conuerti ad deum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindictæ disperdet te. Quid audio? Ne dicas, Misericordia dei magna est? Et quid aliud obsecrò, totâ hac concione diximus & docuimus, quàm Misericordiam dei magnam esse? Cur igitur nõ licet dicere, Misericordia dei magna est? Aut enim hoc verum, aut nihil

nihil verum. Non eſt verum, Deum eſſe, ſi non ſit verum, Miſericordiam dei magnam eſſe. Hanc archangeli & angeli in cœlis: hanc martyres & confeſſores in terris: hanc omnia omninò quæ ſpirant, aut quæ creantur commendāt. Id facillimè in Hymno trium puerorum apparet. Item in illo Pſalmo, cuius ſinguli verſus hâc Epiſtrophe clauduntur, Quoniam in æternū miſericordia eius. Necnon in toto, vel ſcripturæ, vel naturæ libro. Itaq; aut hoc dicendum, imò prædicandum, cantandum, clamandum, Miſericordia dei magna eſt; aut nihil dicendum, ſed perpetuò ſilēdum erit. Et tamen quod dicit ſapiens, ego etiam licèt inſipiens dico, & iterum dico, Ne dicas, Miſericordia dei magna eſt. Diaboli vetus cantilena eſt. Semper hâc chordâ oberrat. Caue igitur. Ne dicas. Ex ſibilo agnoſce ſerpentem. Caue, inquam. Ne dicas. Hoc ſerpens olim ſibilans in aures primorum parentum inſuſurrauit, Peccate audacter: Nequaquā morte moriemini: Miſericordia dei magna eſt: Nequaquam morte moriemini: Audacter peccate. Quemadmodum enim fera ea quæ pardus dicitur, caput ſuum tegit truculentum, oſtenditq; alias partes pulcherrimâ macularum varietate diſtinctas, donec attonitas hoc ſpectaculo beſtias ſubitò exiliens dilaniet: eodem modo ſerpens antiquus, iuſtitiam dei quod caput eſt aufert à facie hominum, & longè remouet diem malum, miſericordiam verò viuis coloribus expreſſam & floridiſſimis quaſi depictam laudibus, propalàm ante eorum oculos conſtituit, donec obſtupefactos & ipſâ admiratione perculſos facilè tandem oppreſſerit incautos. Deus autem qui ſe pardum fore minatur, etiam vbi vt pardus non faciem,

Pſalm. 136. 2. Cor. 11. 11. Geneſ. 3. 4. *Plinius. lib. 8. cap. 17.* Ierem. 13. 23. Pſalm. 10. 8. Amos. 6. 3. Oſe. 13. 7. *ſe pardum.* Exod. 33. 23. *vt pardus.*

ciem, ſed ſolùm poſteriores partes Moyſi oſtendit,
[Exod.24.7.] iuſtitiam ſuam non minùs quàm miſericordiam pro-
mulgat. Tranſiens enim inclamat; Deus miſericors
& clemens,patiens,& multæ miſerationis: ſtatimq;
ſequitur, Reddens iniquitatem patrum, filijs ac ne-
[Sapien.2 vlt. Pſalm.101.1.] potibus,in tertiam & quartam progeniem. Iuſtitiam
[*Non ſola miſericordia,ſed & iudicium.*] poſtremo loco inculcat, vt altiùs in animo infigatur
& memoriâ. Sedenim ſerpentis aſtutiam imitantur
[*Aug. in Pſal. 31. in initio.*] qui ſunt ex parte eius. Semper namq; hoc extitit ve-
ros inter prophetas & falſos diſcrimen,quòd illi mi-
[Iac. 2.13.] ſericordiam & iudicium cum Dauide canerent: ſo-
lam hi miſericordiam cum diabolo. Cæterùm hîc
qui miſericordiam ſine iudicio decantant: pòſt, iu-
dicium ſine miſericordiâ ſentient. Veri prophetæ,ſi-
cut fuerant iuſſi, detonabant dei iudicia: falſi, cura-
[Ierem.6:14.] bant populi contritionem dicentes,Pax,Pax,& non
[Lament.4.3.] erat pax. Nudabant mãmas vt lamiæ, & catulos ſuos
[Pſalm.10.3.] ſpe inani lactabant: laudabãt in deſiderijs ſuis maxi-
[Rom.16.8.] mè malos,& minimè malos per dulces ſermones ſe-
[Eſai 30.10.] ducebãt. Placẽtia loquebãtur,ac oleũ vendebãt quo
[Matth.25.9.] hominum impinguabãt capita, verbaq; eorum oleo
[Pſalm.141.5. Pſalm.55.22.] molliora, vt olim oratoris lucubrationes lucernã, ita
[*Plutarch. in vitâ Demoſth.*] oleum nimis olebant: & tamen dum nihil vini, ſed
[Luc.10.34.] oleum ſolummodò peccantium vulneribus inſtilla-
bant,& oleum perdebant & operam. Vnde deridens
eos ſanctus propheta ait; Vbi ſunt prophetæ veſtri
[Ierem.37.19.] (non prophetæ dei, ſed veſtri, quos vobis coaceruaſ-
[2. Tim.4.3.] ſtis,vt prurientes veſtras aures tereteſq; titillent) vbi
ſunt,qui prophetabant vobis, & dicebant, Non ve-
niet rex Babylonis ſuper vos? Et quales prophetæ,
talis populus. Qui prophetis concinentibus, Non
veniet rex Babylonis ſuper vos; illicò, vt antè dixi,
ſuccinebant,

ſuccinebant, Non venient ſuper nos mala. Propter hæc tamen in peccatores reſpicit,& ſubitò venit ira dei. Quum dixerint Pax & Securitas, tum repentinus eis ſuperueniet interitus,ſicut dolor in vtero habenti. Ita enim eſt, vt ſi paruo puero auiculam lino alligatam tradideris in manus,miſeram iactitat, verſat,vellicat,vexat,dum planè necârit: ſic hi,prophetæ & populus,alter ambóue,omneſq; horum ſimiles,ętate viri,intelligentiâ pueri, ſuauiſſimam dei miſericordiam, acſi ad omnia puerilia eorum ludibria, vel nefanda etiam flagitia alligata eſſet, nimis arctè amplectentes fatigant,& tandem iactitantes inſolentiùs petulantiùsq; vexantes,in ſummam iræ acerbitatem conuertunt. Ac tãquam debilis & imbecillus ſenex, cùm ligneum eſt ponticulum tranſiturus,oculis conſpicilia admouens, pontemq; multò maiorem eſſe quàm eſt reuerà exiſtimans, pedem præter pontem in pontis vmbra falſáq; imagine defigit, & ſic delapſus in gurgitem ſubiectum immergitur : ſimillimè omninò,qui per miſericordiam dei ſe à morte mortali ad vitam immortalem tranſituros cõfidunt, quãuis latam viam continuò terant, quæ à vitâ mortali ad mortem immortalem ducit,non rectè æſtimantes miſericordiam dei, ſed dicentes Miſericordia dei magna eſt, cum interim tam magna non ſit vt ijs faueat,qui ſic tardant conuerti ad deum differuntq; de die in diem,quaſi percuſſiſſent fœdus cum morte & cum inferno feciſſent pactum,hi,inquam, in die iræ atq; in tempore vindictæ, de vanâ ſpe ſuâ vt de ponte decidentes,ſtagno ignis & ſulphuris,æterniq; exitij voragine obruentur.

1. Theſ.5.3.

1.Cor.14.20.

Eſai.28.15.
Reuel.20.10.

Tum dicent,tametſi nimium ſerò,dicent monti-

Reuel.6.16. bus & petris, Cadite super nos, & abscondite nos â facie sedentis super thronum,& ab irâ agni. Quiduis cadere super se malent, quàm se cadere in stagnum. Sed qui hic abscondebant iram agni à facie suâ, tum retrorsum vicissim faciem suam abscondent ab irâ agni? Itáne verò? Ab irâ agni? Quid autem? Agnúsne irascitur? Aut etiam potest agnus irasci? Potéstne fieri, inquam? Vt agnus irascatur? Priùs opinor tota rerum natura susq; deq; voluetur, quàm irascetur agnus. Sed sic est, sancti Fratres, sic est. Quò tardior fuit,& patientior vt agnus, iramq; diutiùs distulit, eò erit tandem iratior, nimis diu ad iracundiam vel in faciem prouocatus. Cherubinorum quisque habet duplicem faciem: hominis,& leonis. Hoc habent,& discunt à domino. Qui & hominis vel etiam agni faciem habet, tollens peccata mundi: & leonis faciem, mundi peccata puniens. Qui & hominis humanitatem offert in die nostro: & leonis ferociam affert in die suo. Hinc propheta; Væ desiderantibus diem domini: ad quid eam vobis? Dies domini ista, tenebræ est & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus. Leo tam magnanimus est, vt sese dedentibus & prosternentibus parcat: vrsus tam turpis est, vt nulli, nec dimicanti nec supplicanti, nec viuo nec mortuo indulgeat.

Esai.65.3. Ezec.1.10. Ioh.1.29. Amos 5.18.

Ouid. de Trist. lib.3.Ele.5.

Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni:

— — — — — — — — — — —

At lupus & turpes instant morientibus vrsi;

& quæ sequuntur: nota enim sunt carmina. Non me fugit, pios optimâ spe plenos, cùm vt deum videant, tum alias ob causas, desiderare diem domini. Verùm isti per ludum & iocum desiderantes, perinde faciũt,

Reuel.22.10.

vt

vt si quis vbi cum leone pugnare possit, optaret potiùs cum vrso confligere. Sic enim describitur dies domini quasi vrso similis; Magnus dies domini, & terribilis valdè. Iterúmque; Dies crudelis, & indignationis plenus. Philistæi quidem illudentes Sampsoni, non ferebant impunè. Nec tu, si crabrones irritaueris, sique Ioel.2.11. Esa.13.9. Iud.17.30.

*Fumantem nasum * magni tentaueris vrsi;* *Martialis poeta.* **Viui.*

vrsi magni, & terribilis valdè; crudelis, & indignationis pleni. Nunc enim prę misericordiâ & clementiâ, qui leo est fit homo; imò qui homo est fit agnus: tùm prę irâ & indignatione, qui homo est fiet leo; imò qui leo est fiet vrsus. Ita, neq; illic impijs erit agnus, neq; hic pijs potest esse vrsus; sed qui hic pijs est homo misericors, illic impiis erit iratus leo. Proinde qui temporis gratiæ pertæsi tempus vindictæ desiderant, Æsopico asino stultiores sunt. Qui cùm seruire potuisset hortulano, figulo maluit: cùm figulo potuisset, coriario maluit. Sic isti, vbi trãsigere possũt cũ agno, cũ leone malũt: vbi cũ leone possunt, cum vrso malunt. Christus namque, vt agnus occisus ab origine mundi; vt leo de tribu Iudæ; vt vrsus insidians est: ita hortulanus, figulus, coriarius est. Maria existimans hortulanum esse, non multùm, aut non omninò errauit. Nam primum Adamum è paradiso eiectum, qui vt malus hortulanus dicere potuit, Vineam meam non custodiui; secundus Adam vt bonus hortulanus, descendens in hortum nucum, reducem in paradisum fecit dicens, Hodie mecum eris in paradiso. Iam & figulus est, habens potestatem ex eâdem massâ faciendi, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Ac notas facit diuitias gloriæ suæ in

In fabulâ, Ὄνος καὶ κηπουρός. Reuelat.13.8. *agnus.* Reuelat.5.5. *Leo.* Lament.3.10. *Vrsus.* Ioh.20.15. Genes.3.23. Cant.1.6. Cant.6.10. Luc.23.43. Rom.9.21.

vasa misericordiæ quæ præparauit ad gloriam: iram autem ostendit, & potentiam suam in vasa iræ aptata ad interitum, quę in multâ patientiâ sustinuit. Postremò coriarius est iuxta mare habitans, apud quem Petrus, aut similes Petri fideles tutò diuersentur. Nõ sic impii, non sic: sed tanquam puluis quem ventus (iuxta mare) proiicit à facie terræ. Ideo coram eo nõ consistent in iudicio, sed viui excoriabuntur, ossaque eorum quasi caro in lebete concîdentur. Christus igitur hortulanus vt agnus est, tantùm in tempore misericordiæ: figulus vt leo est, in vtróq;, & misericordiæ & iræ tempore: coriarius vt vrsus est, tantùm in tempore iræ. Agnus enim nunquam irascitur: leo nonnũquam non irascitur, nonnunquã irascitur: vrsus nunquam non irascitur. Ergo, vt concludam, perditi illi, quandoquidem misericordiâ dei priùs contemptâ pòst nequeunt coram eo in iudicio consistere, dicentes isto loco, Abscondite nos ab irâ agni, hoc tantùm dicere volunt, Abscondite nos ab irâ eius qui olim agnus fuit omnibus, nunc nobis est vrsus. Vos autem, Christiani Fratres, deo gratia, vos non estis eorum similes, subtractionis nimirum ad perditionem, sed fidei ad salutem animæ. Idcircò nisi vasa iræ fieri velimus qui vasa sumus misericordiæ, ne proponamus nobis impunitatem, si perseueremus in peccatis, néue abutamur diutiùs multa eâ dei patientiâ, quâ vt stridens plaustrum tardissimè veniens, nos tamdiu sustinuit, ac etiamnum sustinet. Nõdum vrsus est. Adhuc leo est. Paululum quidem fuit iratus. In peste præsertim. Sed si prosternamus nos coram eo, si supplices prouoluamur ad pedes eius, si verè pœnitentiam agamus, si veniam & misericordiam implo-

Act. 10. 6. Psalm. 1. 5. Mich. 3. 3. *excoriabuntur.* Psalm. 1. 4. Hebr. 10. 34.

imploremus, magnanimus leo seipsum negare non potest. Quin vero auertet faciem leonis, & conuertet ad nos faciem hominis. Quiq; pulchrior est filiis hominum, simùl etiam erit humanior. Nec hominis modò facilitate eriget nos, sed vel agni sanguine & sacrificio seruabit. Quare Charissimæ meæ animæ, preciosissimo sanguine agni redemptæ, coronas nostras ad pedes agni proiiciamus. Vtinam nunc vox mea tam resonans esset, vt non solùm paucis ex dispersione pestis redeuntibus, qui me vndique in hac concione circunstant, sed incolis dulcissimæ patriæ vniuersis, quocúnque pestis peruasit, nullibi autem non peruasit, vnà cum peste vbiq; locorum stridente vt ita dicam & prædicante, prædicare possem ac inculcare, imò intonare in aures, atq; adeo in intimum cor ipsum demittere hanc pœnitentiæ doctrinam. Proiiciamus, inquam, si deum planè placari & reconciliari nobis cupimus, proiiciamus omnia bona opera nostra ad pedes agni, confitẽtes nos haud tantum fecisse quantum debuimus, sed inutilissimos esse seruos. Atque si ea misericordiæ dei pignora deposita fuissent, apud Tyrum, vel Sidonem, vel perditissimam quamuis aliam gentem, quæ deposita fuerunt apud nos, olim pœnitentiam acturos fuisse syncerius, fructúsq; pœnitentiâ longè digniores, quàm nos fecimus, edituros. Omnia etiam mala opera nostra ad pedes agni proiiciamus, obsecrantes, ita delere ea atque obterere velit, vt eorum ne tenuissimum quidem vllum appareat vestigium. Tum enim, si nos operum, & bonorum pudeat, quia minùs plena, & malorum pœniteat, quia nimis plena fuerunt; mitissimus agnus, mitissimus Iesus, iram semper, sicut

hactenùs

Vide antè. p. 7. Psalm. 45. 3. 1. Petr. 1. 19. Reuel. 4. 10.

1. Petr. 1. 1.

Luc. 17. 10. Matth. 11. 21.

Matth. 3. 8. Esai. 44. 22.

Reuel. 3. 2. *minùs plena.* Genes 15. 16. *nimis plena.*

hactenùs fecit, differre, aut planè cohibere perget,
Ioh.8.46. misericordiam verò in nos nunquam desinet decla-
Esa.28.1. rare. Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?
Psalm.103.4. 2.Tim.4.8. Credite mihi, pro coronâ superbiæ, & securitatis,
1.Pet.5.4. quã reiecerimus, superbiæ de bonis operibus, & se-
curitatis in malis operibus, misericordiâ & miseratio-
nibus coronabit nos in hac vitâ, ac in futurâ vitâ co-
ronam iustitiæ & gloriæ dabit nobis, Christus
Iesus iustus iudex; cui, cum patre, & spi-
ritu sancto, sit omnis honor & glo-
ria, in secula seculorum.
Amen.

FINIS.

Pag. 15. lin. 18.	*pro*	*decretum*	*lege*	secretum.
Pag. 16. lin. 13.		*virginti*		viginti.
Pag. 24. lin. 9.		*suiffe*		fuisse.
Pag. 27. lin. 9.		*opinone*		opinione.